
STATUTA UNIVERSITATIS PRAGENSIS

NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACTA CONIUNCTA OPERA

Drs. ANTONII DITTRICH

ET

Drs. ANTONII SPIRK.




UNIV

STATUTA
UNIVERSITATIS
PRAGENSIS

NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACTA CONIUNCTA OPERA

Drs. ANTONII DITTRICH

ET

Drs. ANTONII SPIRK.





MONUMENTA
HISTORICA
UNIVERSITATIS PRAGENSIS.

TOMUS III.

MONUMENTA
HISTORICA
UNIVERSITATIS PRAGENSIS.

TOMUS III.

STATUTA
UNIVERSITATIS
PRAGENSIS


NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACTA

CONJUNCTA OPERA

D. ANTONII DITTRICH

ET

D. ANTONII SPIRK.



PRAGAE.

TYPIS JOANNIS SPURNY.

LECTORI EDITORES.

Non immerito, Lector candide, laetari nobis videmur librum nacti et ad cognoscendam antiquiorem Academiae nostrae historiam peridoneum et ad universam, quae apud maiores vigebat, studiorum rationem perspiciendam utilissimum, quem iam dudum casu quodam incognito e materno Universitatis sinu surreptum sors benignior ante paucos demum annos restituit patriae.

Is enim quo fati lusu Bavaro-Numburgum fuerit delatus haud facile est decernere. Hoc unum nobis constat, autographum ibi in bibliotheca valde conspicua Friderici Theophili Julii a Bülow, collegii episcopalis regundi quondam consiliarii, inventum, atque hujus quum defuncti litterata supellex Islebiae anno MDCCCXXXVI. auctione publica divenderetur, ab Helmio, librario Halberstadiensi, fuisse emtum. E cuius bibliopoleo quum in possessionem amici nostri, Dni. Josephi Stuchly, c. r. praefecturae libris indicandis constitutae administratoris, cessisset, ab hoc viro litterarum amantissimo c. r. Bibliothecae Pragensi benigne donatum est.

Liber is membranaceus folia nonaginta novem formae, quam vocant, quartae maioris continens — esti mutilus ac lituris passim deformatus — dignus tamen est, quem de pristino litterarum cultu consulas, quum studii academici normis rerumque memorabilium narrationibus affluat, quas ipsi Rectores, sua quisque manu, inseruerunt. Itaque in hoc commentariorum volumine praeter leges, edicta et res iudicatas frequentes etiam easque haud leves rerum saeculo XIV.o XV.o XVI.o et XVII.o gestarum significationes invenies repositas. Litterulae in primis paginis comparentes, ut rei natura fert, ad scribendi rationem dimidio fere saeculo XIV.o usitatam sunt conformatae, quum libri vetustas annum MCCCXLVIII., quem primum conditae Universitatis Pragensis fuisse inter omnes constat, non possit excedere. Eodem modo reliquae nostri codicis paginae sui quaeque saeculi notas exhibent, rerum enarratione ad annum MDCXIV. procedente.

In limine operis fasti reperiuntur, neque ii tamen integri, mensibus Maio, Junio, Julio et Augusto deficientibus. Ibi diem XVII. mensis Octobris Rectori creando, diem vero XXIII. Decembris inchoandis, quae ob solennia nativitatis Christi dies continuos VII haberi solebant, feriis fuisse dicatum comperies.

Fastos autem index legum XXIV academicarum sequitur, quarum tamen XIV solum priores

cum fragmento legis XV., quae est de officio notarii, afferuntur, ceteris manu impia exsectis.

Tum nova orditur legum atque praeceptionum ab anno MCCCLXXXV.º ad annum usque MCCCLXXXXVII. de disciplina academica traditarum series, sed ne haec quidem integra, quum quinque libri folia nefaria itidem exscissione sint sublata; quo factum est, ut historiarum amatores nobiscum gravissimam commentariorum de rebus Hussi atque Wicleffi iacturam patiantur.

Dein exempla litterarum a Regibus ac Pontificibus maximis ad Academiam datarum succedunt, quae primitus libro finem imposuisse videntur; etenim quae mox subsequuntur paginae diverso signorum genere numerantur. Itaque altera codicis pars, a folio quadragesimo, quo annus MCCCCLXXXXIX. continetur, exorsa Rectorum res ab anno MCCCCLXXXXIX. usque ad annum MDCXIV. enarratione paene continua exhibet, quae quo propius ad saecula recentiora accedit, eo fit uberior, eoque magis tenet lectorem. Sed in fine etiam librum nostrum nonnullis despoliatum esse foliis invenies, ita, ut haud inepte conjicias, commentarios ad annum usque MDCXXII. fuisse progressos, quo universum Academiae tabularium regiae Cancellariae bohemicae traditum.

Neque a vero alienum omnino videtur, Paulum Stranskium ad opus de Republica Boiema

concinnandum codice nostro usum eoque assecutum esse, ut pagina potissimum 317ma libri sui iterum editi accuratiorem de rebus Academiae cognitionem proderet.

Quo blandius Universitatis solemnia saecularia anno MDCCCXLVIII. obeunda hortabantur, ne occasionem praetermitteremus ad librum edendum maxime idoneam, quam tamen frustra fuisse futuram veri simillimum est, ni inter optimates nostros exstitisset, qui sumptu in librum typis exscribendum faciendo haereditarium artium ingenuarum amorem suamque erga Academiam pietatem exerceret. Itaque opus felici patrocinio Serenissimi Principis Francisci a Lobkowicz peractum.

Restat, Lector candide, ut excipias benevole benevolentia quod offert.

(Folium continens titulum ac versimiliter notas varias, ut in aliis codd: exsectum est,)

(Vide pag. 54. N. 16.)

Januarius.

	KL				
				Januarius habet dies XXXI. Lunatio XXX.	
	1	A	IV	Circumcisio Domini nostri Ihesu	
	2	b	IV	Allatio reliquiarum	Nonas
	3	c	III		
	4	d	II		
	5	e	Nonas		
	6	f	VIII	Epiphania Domini	Ydus
	7	g	VII		
1	8	A	VI		
	9	b	V		
	10	c	IV		
	11	d	III		
	12	e	II		
	13	f	Ydus		
	14	g	XIX		Kalendas
2	15	A	XVIII		
	16	b	XVII		
	17	c	XVI		
	18	d	XV		
	19	e	XIV		
	20	f	XIII		
	21	g	XII		
3	22	A	XI		
	23	b	X		
	24	c	IX		
	25	d	VIII	Conversio sancti Pauli apostoli.	
	26	e	VII		
	27	f	VI		
	28	g	V		
4	29	A	IV		
	30	b	III		
	31	c	II		

Februarius.

	KL			Februarius habet dies XXVIII. Lunatio XXIX.	
	1	d			
	2	e	IV	Purificatio sancte Marie Virginis.	Nonas
	3	f	III		
	4	g	II		
5	5	A	Nonas		
	6	b	VIII	Dorotheae virginis et martiris.	Idus
	7	c	VII		
	8	d	VI		
	9	e	V		
	10	f	IV		
	11	g	III		
6	12	A	II		
	13	b	Idus		
	14	c	XVI		Kalendas
	15	d	XV		
	16	e	XIV		
	17	f	XIII		
	18	g	XII		
7	19	A	XI		
	20	b	X		
	21	c	IX		
	22	d	VIII	Kathedra sancti Petri apostoli.	
	23	e	VII		
	24	f	VI	Mathie apostoli.	
	25	g	V		
8	26	A	IV		
	27	b	III		
	28	c	II		

Martius.

KL Martius habet dies XXXI, Lunatio vero XXX.

	1	d			
	2	e	VI		Nonas
	3	f	V		
	4	g	IV	Translatio sancti Wenceslai martiris.	
9	5	A	III		
	6	b	II		
	7	c	Nonas		
	8	d	VIII		Idus
	9	e	VII		
	10	f	VI		
	11	g	V		
10	12	A	IV	Gregorii Papae.	
	13	b	III		
	14	c	II		
	15	d	Idus		
	16	e	XVII		Kalendas
	17	f	XVI		
	18	g	XV		
11	19	A	XIV		
	20	b	XIII		
	21	c	XII		
	22	d	XI		
	23	e	X		
	24	f	IX		
	25	g	VIII	Annuntiatio beatae Mariae Virginis.	
12	26	A	VII		
	27	b	VI		
	28	c	V		
	29	d	IV		
	30	e	III		
	31	f	II		

Februarius.

	KL			Februarius habet dies XXVIII. Lunatio XXIX.	
	1	d			
	2	e	IV	Purificatio sancte Marie Virginis.	
	3	f	III		Nonas
	4	g	II		
5	5	A	Nonas		
	6	b	VIII	Dorotheae virginis et martiris.	
	7	c	VII		
	8	d	VI		
	9	e	V		Idus
	10	f	IV		
	11	g	III		
6	12	A	II		
	13	b	Idus		
	14	c	XVI		
	15	d	XV		
	16	e	XIV		
	17	f	XIII		
	18	g	XII		
7	19	A	XI		
	20	b	X		Kalendas
	21	c	IX		
	22	d	VIII	Kathedra sancti Petri apostoli.	
	23	e	VII		
	24	f	VI	Mathie apostoli.	
	25	g	V		
8	26	A	IV		
	27	b	III		
	28	c	II		

Martius.

	KL				
			Martius habet dies XXXI, Lunatio vero XXX.		
	1	d			
	2	e	VI		Nonas
	3	f	V		
	4	g	IV	Translatio sancti Wenceslai martiris.	
9	5	A	III		
	6	b	II		
	7	c	Nonas		
	8	d	VIII		Idus
	9	e	VII		
	10	f	VI		
	11	g	V		
10	12	A	IV	Gregorii Papae.	
	13	b	III		
	14	c	II		
	15	d	Idus		
	16	e	XVII		Kalendas
	17	f	XVI		
	18	g	XV		
11	19	A	XIV		
	20	b	XIII		
	21	c	XII		
	22	d	XI		
	23	e	X		
	24	f	IX		
	25	g	VIII	Annuntiatio beatae Mariae Virginis.	
12	26	A	VII		
	27	b	VI		
	28	c	V		
	29	d	IV		
	30	e	III		
	31	f	II		

Aprilis.

	KL			Aprilis habet dies XXX. Lunatio vero XXIX.	
	1	g			
13	2	A	IV		Nonas
	3	b	III		
	4	c	II	Ambrosii Episcopi.	
	5	d	Nonas		
	6	e	VIII		Idus
	7	f	VII		
	8	g	VI		
14	9	A	V		
	10	b	IV		
	11	c	III		
	12	d	II		
	13	e	Idus		
	14	f	XVIII		Kalendas
	15	g	XVII		
15	16	A	XVI		
	17	b	XV		
	18	c	XIV		
	19	d	XIII		
	20	e	XII		
	21	f	XI		
	22	g	X		
16	23	A	IX	Georgii militis.	
	24	b	VIII		
	25	c	VII	Marci evangeliste.	
	26	d	VI		
	27	e	V		
	28	f	IV		
	29	g	III		
17	30	A	II		

September.

	KL			September habet dies XXX. Lunatio XXX.	
	1	f			
	2	g	IV	Egidii Abbatis.	Nonas
35	3	A	III		
	4	b	II		
	5	c	Nonas		
	6	d	VIII		Idus
	7	e	VII		
	8	f	VI	Nativitas sancte Marie Virginis.	
	9	g	V		
36	10	A	IV		
	11	b	III		
	12	c	II		
	13	d	Idus		
	14	e	XVIII	Exaltatio sancte Crucis.	Kalendas
	15	f	XVII		
	16	g	XVI	Ludmille vidue et martiris.	
37	17	A	XV		
	18	b	XIV		
	19	c	XIII		
	20	d	XII		
	21	e	XI	Mathei apostoli et evangelistae.	
	22	f	X		
	23	g	IX		
38	24	A	VIII		
	25	b	VII		
	26	c	VI		
	27	d	V		
	28	e	IV	Wenceslai ducis et martiris.	
	29	f	III	Mychaelis arch. omniumque celestium virtutum.	
	30	g	II	Jeronimi presbiteri et confessoris.	

October.

	KL		October habet dies XXXI. Lunatio XXIX.		
39	1	A	Kl. Octobris		
	2	b	VI		Nonas
	3	c	V		
	4	d	IV		
	5	e	III		
	6	f	II		
	7	g	Nonas		
40	8	A	VIII		
	9	b	VII	Dionisii martiris et sociorum ejus. Decani elec.	Ydus
	10	c	VI		
	11	d	V		
	12	e	IV		
	13	f	III		
	14	g	II		
41	15	A	Ydus		
	16	b	XVII	Galli abbatis.	Kalendas
	17	c	XVI	Rectoris publica electio.	
	18	d	XV	Luce evangeliste.	
	19	e	XIV		
	20	f	XIII		
	21	g	XII	Undecim millia Virginum.	
42	22	A	XI		
	23	b	X		
	24	c	IX		
	25	d	VIII		
	26	e	VII		
	27	f	VI		
	28	g	V	Simonis et Jude apostolorum.	
43	29	A	IV		
	30	b	III		
	31	c	II		

November.

	KL			November habet dies XXX. Lunatio XXIX.	
	1	d			
	2	e	IV		Nonas
	3	f	III		
	4	g	II		
44	5	A	Nonas		
	6	b	VIII		Idus
	7	c	VII		
	8	d	VI		
	9	e	V		
	10	f	IV	Ludmille vidue et martiris.	
	11	g	III	Martini episcopi et confessoris.	
45	12	A	IJ	Quinque fratrum martirum.	
	13	b	Idus		
	14	c	XVIII		Kalendas
	15	d	XVII		
	16	e	XVI		
	17	f	XV		
	18	g	XIV		
46	19	A	XIII	Elyzabeth vidue beatissime et humilime.	
	20	b	XII		
	21	c	XI		
	22	d	X		
	23	e	IX	Clementis pape. Interim quod ordo sit nobis	
	24	f	VIII	[incorporatus.	
	25	g	VII	Katherine virginis et martiris.	
47	26	A	VI		
	27	b	V		
	28	c	IV		
	29	d	III		
	30	e	II	Andree apostoli.	

December.

	KL		December habet dies XXXI, Lunatio XXIX,		
	1	f	Kl. Decemb.		
	2	g	IV		Nonas
48	3	A	III		
	4	b	II		
	5	c	Nonas		
	6	d	VIII	Nicolai episcopi et conf.	Idus
	7	e	VII		
	8	f	VI	Conceptio sancte Marie Virginis.	
	9	g	V		
49	10	A	IV		
	11	b	III		
	12	c	II		
	13	d	Idus		
	14	e	XIX		Kalendas
	15	f	XVIII		
	16	g	XVII		
50	17	A	XVI	Impositio O Sapientia	
	18	b	XV		
	19	c	XIV		
	20	d	XIII		
	21	e	XII	Thome apostoli.	
	22	f	XI		
	23	g	X	Hic suspenduntur lectiones usque	
51	24	A	IX	ad Octavas Nativitatis et Sanctorum.	
	25	b	VIII	Nativitas dni. nostri Ihesu XPI	
	26	c	VII	Stephani protomartiris.	
	27	d	VI	Johannis apostoli et evangeliste.	
	28	e	V	Sanctorum Innocentum,	
	29	f	IV		
	30	g	III		
52	31	A	II		

Qualis debeat esse persona, quae possit eligi in Rectorem Universitatis.

Ad Rectoratus officium eligatur persona Universitatis nostrae, quae vita et moribus comendabilis existat, et 25. annum aetatis suae adtigerit, et de legitimo thoro procreatus exsistat, de qua aetate et legitimitate, si per Universitatis Rectorem antiquum et consiliarios dubitetur, deficientibus Magistrorum probationibus, credi debet electi propriae conscientiae, nec exspiret antiqui Rectoris officium nec novi juramentum acceptetur; post ejus acceptationem officium primi Rectoris exspirabit in totum. Item, si contra personam electi aliqua de exceptionibus supra scriptis opponitur, quae in continenti probari non possit, ut, quod non sit membrum Universitatis nostrae intitulatum, vel sit illegitime natus, vel etiam conjugatus, non clericus vel alicujus religionis professus, talis exceptio proponatur Rectori Universitatis et consiliariis cognoscenda; et ex tunc, si probata fuerit exceptio contra electum opposita vel confessa, non dissolvatur congretatio Universitatis, donec Rector alius eligatur. Si vero opponentes statim non probaverint, quae opponuntur, requirendi sunt publice per Rectorem Antiquum, vel Notarium Universitatis ex speciali mandato Rectoris, vel per Bedellum requirantur, si probare velint et possint, quae

opponuntur; et tunc statim vel saltem ea die ante Universitatis separationem; exceptio proposita Notario tradatur in scriptis et coram Rectore antiquo Universitatis et suis consiliariis infra 14 dies primos sequentes, prout suerit de jure, probetur, nec postea aliquis opponens audiatur; et si contrarium, quolibet modo fecerint, vel in propositione defecerint, ipso jure sint privati privilegiis Universitatis, quousque Universitatis nostrae solvant 6 florenos, quae poena nullo modo debet relaxari, et Rector antiquus teneatur eos privatos facere nuntiari, et electum defendere teneatur. Si vero infra dictum tempus fuerit legitima exceptio probata, ex tunc ipse Rector antiquus cum praedictis suis consiliariis infra duos sequentes dies pronuntient, praetactam electionem non valere, et immediate convocet in sequenti die Universitatem pro eligendo Rectore novo, et procedatur ad electionem talem secundum formam statutorum; et Rector publice nullam pellem in capite deferat, quam de vario in hieme, vel serico in aestate, si volt; quam, si propriis sumtibus procurare non poterit, de communi peculio Universitatis procuretur. Rector etiam sic electus nullas faciat expensas extra ordinarias ratione sui rectoratus.

De modo eligendi Rectorem. *)

2. Natio quaelibet de quatuor, in quas Universitas est divisa, eligat unum de se, qui quatuor teneantur eandem electionem seu nominationem suscipere, cum fuerint in suis nationibus deputati, et praestito juramento antiquo Rectori de fraude non commitenda eligant septem alios de tota Universitate, qui sic electi iterum jurent Rectori an-

*) Istud statutum est abrogatum propter tres voces nationis Bohemorum, quia quatuor ab Universitate primum electi, jam statim Rectorem eligere, tenebuntur.

tiquo de fraude non committenda et eligant alios quinque, qui quinque jurent iterum Rectori antiquo, quod velint eligere virum idoneum secundum formam prius scriptam, et quemcunque illi quinque vel major pars eorum elegerint, pro Rectore Universitatis teneatur. Et nota, quod primi quatuor debent eligere praedictos septem infra unam horam, horologii, sub poena quilibet dimidii floreni; et iterum illi septem debent eligere quinque infra unam aliam horam quilibet sub poena unius floreni; et quinque ultimi debent eligere Rectorem infra unam horam similiter, nec postestatem continuare possint, sub eadem poena, quodsi non fecerint, quilibet solvet unum florenum et eligant in hora sequenti, iterum quilibet sub poenna unius floreni, et non recedant, nisi elegerint, et pro qualibet hora, in qua non elegerint, solvat quilibet unum florenum. Si vero quisquam illorum recesserit electione non facta, perjurus reputetur.

De publicatione electionis Rectoris et intimatione.

3. Facta electione Rectoris unus de electoribus quinque (supra scriptum quatuor) in quem omnes concordaverint, vel major pars statim electum nominabit et publicabit eum Universitati, et si electus in congregatione non fuerit, ab electoribus quaeratur, et electio de se facta sibi exprimatur, et consensus ipsius desuper requiratur. Electus autem facta sibi tali intimatione, non excusabit se sub poena quinque sexagenarum grossorum Pragensium; electus etiam, nisi prius fuerit Rector, suo nomine non ab alis substitutus renuntiare non possit electioni de se factae, etiam nullius privilegii vel imunitatis praetextu, nisi forte rationalem excusationem habeat, quae, si per Rectorem antiquum cum majori parte consiliariorum fuerit aprobata, tunc coram ipsis electus de causae veritate jurare teneatur quodsi

1*

non fecerit, sit perpetuo privatus Universitatis commodo et honore, nec restitui possit, nisi dictam poenam persolvat, quam nostrae Universitati volumus aplicari. Et idem intelligendum est in illo, qui ipso die electionis et sequenti proximo recusaverit Rectoratus officium acceptare, recusatione autem tali facta Rector antiquus die immediate sequente Universitatem faciat congregari pro alio Rectore eligendo.

De recomendatione Rectoris et rebus sibi praesentandis.

4. Rector electus postquam acceptaverit officium Rectoratus infra 8 dies proxime sequentes aliquo die festivo se faciat Universitati recomendari, et tunc tradatur sibi per Rectorem antiquum sigillum Rectoratus cum statutis Universitatis, ibique faciet Rector publice juramentum Universitati, et receptis pecuniis ceterisque rebus, quae Rectoratus concernunt officium, faciet fidelitatem suam in omnibus, secundum formam inferius adnotatam in rubrica, ad quid teneatur Rector Universitati.

De juramento Rectoris.

5. Juramentum novi Rectoris, quando recomendatus est, erit istud: Primo jurabit, quod sit membrum Universitatis istius, et quod non sit conjugatus, quod sit clericus, nec professus, et quod pro posse procurabit, quae pertinent ad bonum statum studii et Universitatis, ita tamen, quod ex levi ignorantia, quae non fit ex malitia, perjurium non incurret. Item jurabit, statuta facta et facienda, quae per Universitatem sunt et erunt approbata, firmiter observare, et facere ab omnibus observari, et ea manu tenere et defensare. Item jurabit, quod usque in finem regiminis (vestri) sui pecuniam Universitatis, si quae ad (vestras) ipsius manus pervenerit, fideliter pro Universitatis utilitate dispen-

sabit, et residuum, si quid fuerit, conservabit. Item jurabit, quod post finem (vestri) sui regiminis per mensem integrum Pragae permanebit, et quod velit stare juri, si contra eum aliquid objectum fuerit, et super poenis solvendis suo velit obedire successori. Si autem ipsum ex aliqua justa causa recedere opportuerit, tunc dimmittet duos fidejussores idoneos coram Rectore novo vel consiliariis, si Rector absens fuerit, qui promittant, pro eo judicio sisti, et judicatum solvi sub juratoria cautione. (Quod sequitur, alio calamo serius subjunctum est.) Item, ut facta notabiliora, quae aguntur in suo rectoratu, diligenter conscribat. Item promittet fidelitatem Regi nostro ac regno.

De jurisdictione Rectoris.

6. Jurisdictionem ordinariam Rector habebit in omnia supposita Universitatis in causis civilibus et injuriarum. Item Rector summatim et sine forma seu strepitu judicii causas cognoscat et decidat, nisi formam judicii causae gravitas exigere videatur; et si necessitas requirit, potest Rector in causis scholarium procedere quolibet tempore feriarum. Item non possunt Universitatis supposita Rectoris judicium quomodolibet declinare. Si autem persona in judicium tracta juraverit ex certa causa se Rectorem habere suspectum, causam suspicionis exprimat, adhibito juramento; et ex tunc Rector causam principalem deleget personae non suspectae, quae sit membrum hujus Universitatis, seu aliquis Vicerector detur, qui de causa suspicionis judicet et ipsam diffiniat, infra octo dies cum consiliariis Universitatis, qua probata Vicerector idem de principali causa cognoscat illa non probata remittat Vicerector illam causam ad judicem recusatum, i. e. ad Rectorem. Item, non debet alius intitulatus Universitati nostrae, ac juratus, alium intitulatum trahere in judicium, nisi ante Rectorem Universitatis. Item, si Re-

ctori Universitatis tempore sui rectoratus per membrum Universitatis, quaecunque injuria illata fuerit realis aut verbalis, convocabit Magistros omnium facultatum, et proponet causam, qui sibi unum vel plures deputabunt judices in hac causa, et quidquid taliter deputati judicaverint, teneatur tam a Rectore, quam a parte offendente. Item Rector bis in septimana debet praesidere in judicio seu tertiis et quintis feriis, vel aliis, quas duxit eligendas potest tamen, ut dictum est, si voluerit, et necesse fuerit, omni die judicio praesidere etiam die feriata.

Ad quid teneantur Rectori subposita Universitatis.

7. Rectoris convocationibus, citationibus et judiciorum sententiis et concordatis atque mandatis rationabilibus omnia Universitatis membra tenentur obedire, et si quis gravatum se reputaverit, Universitatis auxilium imploret super illo. Item citatus a Rectore vel Vicerectore, si contumax fuerit, citabitur iterato, quod si contumax fuerit, solvet unum grossum, si tertio, solvet duos gross., si quarto, in tribus gross. punietur. (Potest tamen Rector secundum exigentiam causae in citationibus unum terminum peremptorium pro omnibus illis deputare. Alia manu insertum.) Quodsi nec adhuc comparere voluerit, vel sententiam contra se factam servare spreverit, de communi consilio a lectionibus per suspensionem publicam hujusmodi excludatur; quodsi nec illam poenam curaverit, sed per quindenam in contumacia sua permanserit judicatus, ex tunc trium dierum monitione praemissa a Rectore, quae per Bedellum in scholis singulis publicabitur in congregatione Universitatis ad hoc facta, tunc a corpore Universitatis tanquam membrum putridum rescindatur, et inhibiatur Universitatis suppositis ne cum tali quomodolibet conversentur in actibus scholasticis tam publicis quam privatis. Debet tamen Re-

ctor in causa multum ardua procedere in judicio consiliariis sibi assistentibus secundum diffinitionem consilii Universitatis, secundum modum infra scriptum in secundo folio proxime sequenti in fine statutorum incipientium: In Universitate sunt quatuor nationes etc.

Ad quae Rector teneatur.

Rector tenetur infra primum mensem sui rectoratus omnia statuta legisse. Item tenetur facere modis, quibus potest, quod omnes scriptores, illuminatores, correctores, rasores chartarum, librarii, stationarii pargameni, apothecarii librorum ligatores et eorundem venditores atque omnes, qui vivunt quodammodo per Universitatem; sic Rectores scholarum et eorum scholares subditi sint Rectori et jurent ac promittant eidem, et intitulentur, et quod unicuique velint facere similiter seu rationabiliter, et articulos infra scriptos de ipsis velint observare. Rector tenetur circa principium sui rectoratus aliquo die festivo Universitatem congregare, et facere ibi legi statuta coram Universitate, illa videlicet, quae concernunt indifferenter omnes. Statuta vero, quae sunt edita in unaquaque facultatum legantur juxtra decretum illius facultatis, quando et quibus rationabiliter sunt legenda. Item tenetur Rector non protegere seu defendere aliquem scholarem, qui non fuerit diligens vel frequentans lectiones, etiam si libro Universitatis sit inscriptus, nisi justa causa abstinuerit, et illa legitime sit probata. Item tenetur Rector ad petitionem cujuscunque scholaris facere legi statutum, quod facit pro scholare, et quando scholari visum fuerit expedire, et sic de aliis membris Universitatis; sed non legatur statutum per alium, quam per Rectorem vel juratum Universitatis notarium vel Bedellum et legatur de verbo ad verbum sub poena juramenti. Item tenetur Rector poenas excedentium exigere infra X. dies. Item potest Rector a quolibet exi-

gere, ut denuntiet poenas, quas alii inciderunt, ubi Rectori non esset cognitum de poenis, quas alii inciderunt; et si quis denuntiare noluerit, ad tantum solvendum condemnetur. Item Rector non permittat proponi in congregatione quacunque de poena remittenda; tertia autem pars poenarum sit Rectoris et reliquae duae Universitatis, nec Rectori ultra tertiam partem sit specialis portio in aliis deputata, nec possint ullo modo poenae remitti excedentium, nisi propter paupertatem vel defectum eminentem, tunc enim Rector mitius agere potest. Item Rector prohibere tenetur ne congregata Universitate pro aliquo principali negotio non expedito illo, aliud proponatur incidenter. Item tenetur Rector antiquus in recomendatione novi Rectoris assignare novo Rectori sigillum Rectoratus cum statutis. Item tenetur novo Rectori post suam recommendationem Rector antiquus facere legitimam computationem de pecunia Universitatis coram consiliariis et deputatis ad hoc et juratis, et sic de aliis rebus Universitatis quae suae custodiae sunt commissae. Item tenetur Rector novus, pecunias sibi per antiquum Rectorem praesentatas post computationem una cum aliis rebus Universitatis, si quae sibi praesentabuntur, ponere in Archam Universitatis coram consiliariis et aliis ad hoc deputatis, quam cito hoc commode fieri potest. Item tenetur Rector manere in loco et non posse abesse infra tempus sui regiminis ultra VI. dies sine speciali licentia Universitatis, quoties vero contingit ipsum absentem esse, vel forsitan infirmari, vel legitime impediri constituet Vicerectorem pro se, qui habebit supplere vices ejus. Item tenetur Rector, semel infra tempus sui Rectoratus totam Universitatem congregare, in aestate, infesto nativitatis Mariae vel circa, in hieme vero in festo Sancti Gregorii vel circa, in qua congregatione tunc facta faciet Rector brevem exhortationem ad correctionem malarum consuetudinum scholarium, sicut viderit tunc necesse, ibique mandet, quod nul-

lus habitet in alio loco, quam cum Magistris vel Baccalariis Universitatis, nisi habita licentia Rectoris ex causa rationabili, et de hac licentia scholaris signetum obtineat a Rectore; et qui contrarium facere praesumserit, commodo ac defensione careat Universitatis illa vice. Item, quod praesidentes et conductores Bursarum nullum in collegiis aut Bursis inhabitare aut expendere permittant, nisi sit realiter intitulatus, et sit membrum Universitatis, qui vult gaudere commodis et privilegiis ejusdem Universitatis. (Hoc ultimum alia manu serius adscriptum).

De archa et de rebus Universitatis servandis.

9. Duo sunt eligendi, qui habeant claves ad archam Universitatis, et Rector habebit clavem tertiam, in qua sigillum, privilegia et pecunia Universitatis reponantur et illi debent colligere pecunias, et expendere in necessitatibus Universitatis, ad scholas reparandas, et rationem facere Rectori et consiliariis, quando et quoties requiruntur; et illi duo eligantur ab eisdem, a quibus eligitur Rector, et sub eadem poena et sub eodem mandato et infra eandem diem ante solis occasum; sed debent esse de diversis facultatibus; et semper infra quindenam ponat pecuniam ad archam Universitatis.

De emolumentis Rectoris, de intitulatione et sigillo.

10. Rector habeat tertiam partem de pecunia intitulandorum. Item de sigillo rectoratus habeat tertiam partem; de sigillo Universitatis nihil, sed cedat Universitati, et capiantur sex grossi pro sigillo Universitatis, nisi Rector cum consiliariis vellet illum, qui petit sigillum, propter labores et merita sua, que fecit Universitati, honorare. Item de sigillo rectoratus non capiatur ultra unum grossum.

De electione Vicerectoris.

11. Rector cum consiliariis suis statim facta recomendatione Rectoris eligant idoneum Vicerectorem, cujus nomen statim publicetur, qui jurabit publice omnes articulos contentos in forma juramenti Rectoris, eo quod impedito Rectore vel absente, ipse habeat omnem ejus auctoritatem ac etiam potestatem virtute statuti praesentis. In praesentia vero Rectoris et ipso Rectore non existente legitime impedito Vicerector nullam potestatem habeat omnino plus, quam alius habet. Vicerector eligendus debet habere easdem conditiones, quas Rector; alias non valebit ejus electio.

De nationibus Universitatem constituentibus.

In Universitate sint quatuor nationes, ut de facto sunt; scilicet: Bohemorum, cui nationi conjucti sunt Moravi, Ungari, atque Slavi; alia sit natio Polonorum, alia Bavarorum alia Saxonum; et de quacunque natione, quis fuerit, ad illam inscribatur, (prius tamen ad Universitatem intituletur. (Serius additum.) et solvat Universitati 6 grossos, et juret (promittat, supra scriptum) obedire Rectori et successoribus ejus; post hoc det 6 halenses Bedello generali Universitatis. Si vero intitulandus non habuerit annuatim consummere 12 flor., nihil dabit de intitulatione. Si vero ultra habuerit, sed tamen infra 24 flor. dabit sicut Rectori visum fuerit, plus vel minus.

De consiliariis eligendis.

13. Consiliarii eligantur de quatuor nationibus per hunc modum. Consiliarii, qui fuerunt tempore antiqui Rectoris, coadjuncta sibi natione sua, quique in sua natione nominabit 6 decretos viros suae nationis quos meliores cre-

dunt ad hoc officium, consentiente tota illa natione, et hos in charta tradant Rectori, et tunc Rector electus ex sex duos de unaquaque natione recipient, et sic fiet in qualibet natione, et erunt octo consiliarii, de qualibet natione duo. Praetor hos eligantur alii octo, si opus fuerit, de qualibet facultate sex, ex quibus Rector recipiet duos et hi 16. dum opus fuerit erunt in judicio cum Rectore. Si tamen esset consulendum de re multum ardua, Rector Universitatis congregabit consilium Universitatis, ad consulendum super re illa, et quod ibi diffinitum fuerit, illud servetur per Rectorem; et consiliarii prius electi assistant Rectori ad prosequendum et explendum, quod ei dictatum est in consilio Universitatis.

De notario eligendo, qualis, et qualia jurare debeat.

14. Notarius Universitatis, dum opus fuerit per Rectorem et consiliarios eligatur, et Notarius semel reprobatus per Universitatem suis exigentibus demeritis non possit denuo reassumi. Item notarius semper novo Rectori jurare (supra scriptum promittere) teneatur; quod Rectori obediat, et ad ipsium vocationem veniat, honorem et statum Universitatis bona fine promoveat, secreta quae sibi per Rectorem et consiliarios vel Universitatem commissa fuerint, celabit, et servabit statuta Universitatis, quae ad suum officium spectare dignoscuntur. (Idem intelligatur de Bedello Universitatis, ut infra patebit. Serius additum.)

De officio notarii.

15. Notarius Universitatis leget statuta, quorum legendorum tempora superius sunt expressa, et alia, quae Rector jubet intimari. Item notarius in loco et statione, ubi Rector

solet pro tribunali praesidere, se semper repraesentet. Item, quandocunque Rector cum consiliariis convenerint vel Universitas, sit ipse in loco praesens, ita, quod ipsius copia, si expedierit, citius habeatur. Item in festivitatibus, exequiis, processionibus, quas Rector cum Universitate tenuerit, Notariis se semper repraesentet, post Rectorem reverenter procedendo. Item, si Rector cum Universitate vel certis personis Universitatis ad palatium Regis, Archiepiscopi, vel scabinorum consilium intrare debuerit, sit notarius semper praesens, ipsosque praecedat. Item litteras, quascunque Universitas diriget ad quoscunque principes vel personas ipse notarius in uno libro speciali registret, antequam sigillentur, ne in posterum errare contingat, quod sit sigillatum per Universitatem. Item notarius per semet ipsum exerceat officium suum, nisi legitime fuerit impeditus. Addicimus quoque, quod notarius Universitatis, quamdiu placuerit Universitati, habeat quolibet anno pro suo sollario ab Universitate nostra unam sexagenam grossorum Pragensium. De instrumentis autem scholarium, quaecunque de 20 flor. (Jam folia reliqua statuta continentia excissa et evulsa sunt. Notandum praeterea, a sequenti folio paginas demum signari litteris numerisque; nempe A. I. A. II. et. s. p.)

De conductura bursarum.

16. Anno domini 1385 in vigilia Sancti Bartholomei in congregatione Universitatis specialiter super hoc facta, M. Lamberto de Ewskirchen (Enskirchen) tunc Rectore Universitatis praesidente, nullo discrepante, unanimiter fuit conclusum et statutum: Quod inantea nullus magistrorum, Doctorum vel scholarium, quorumcunque aliorum volentium gaudere privilegiis aut libertatibus Universitatis, possit seu debeat conducere domum, bursam, aut commodum sine consensu magistri, doctoris etc., qui depraesenti medio anno

inhabitavit aut inhabitaverunt easdem vel eadem ante festum Sancti Aegidii pro medio anno hiemis proxime futuro, nec ante festum St. Gregorii pro medio anno aestatis etiam proxime futuro et sic deinceps, nisi conventor aut conventores dictas bursas, domos aut commoda ante aliquem dictorum terminorum contingeret libere resignare, sub poena, quam per illum medium annum contrarium faciens domum, bursam, commodum praedicta, nec aliquod eorum inhabitare valeat, et unius sexagenae, quam teneatur solvere Rectori infra quindenam sub poena dupli; qua quindena elapsa Rector contra hujusmodi transgressorem aut transgressores sub juramento (seu promisso supra scriptum) suo coram Universitate praestito procedere ad extorsionem poenae praedictae teneatur, cujus poenae medietatem Rectoris aliam vero conventoris aut conventorum usibus congregatio dicta Universitatis voluit applicari; adjicientes nihilominus, quodsi Rector, conventor aut conventores, aut quiscunque seu quicunque, cujus vel quorum interest, ante dictum terminum, aut in dicto termino, vel post ipsum elapsum de fraude comittenda vel commissa dubitaverit aut dubitaverint, conventor et conventores et alius vel alii, quem vel quos hujusmodi negotium fraudis concernere videretur, teneatur et teneantur de fraude non comissa juramentum praestare, et alias super interogatoriis, vel articulis dictum negotium tangentibus juramento mediante respondere.

(Sequentibus 3 paginis scripta pumice adeo rasa sunt, ut literarum quidem vestigia, non autem litterae appareant.)

De contributione ad Universitatem.

In Rectoratu M. Joannis Winkeleri Ao. D. 1389. die 7. mensis Aprilis facta plena congregatione Magistrorum consilii Universitatis, et matura super hoc deliberatione deha-

bita fuit conclusum, quod singulis annis pro futuris, quam pro tempore Rector (supra scriptum: fuerit) teneatur infra festum S. Galli et nativitatis Christi capere unam collectam ab omnibus suppositis Universitatis in hunc modum, quod Magister per grossum, et Baccalarii et scholares per medium grossum contribuant, et quod medietas dictae collectae servetur pro usu Universitatis et residua medietas cedat facultati artium, quae quidem collecta singulis annis est sine intermissione iteranda, quosque satisfiat dictae facultati artium de summa 20 sexagenarum, quas Universitas necessata (?) ab ea sub mutuo suscepit, quibus solutis ex tunc stabit in arbitrio Universitatis, an dicta contributio in antea debeat continuari. (Adscriptum: Suspensum est.)

Item de alia contributione.

Ao. D. 1389. die mensis Julii 23. in Rectoratu M. Bartholomaei Torghelove facta plena congregatione Magistrorum de consilio Universitatis, Magistri de eodem consilio, considerantes deffectus privilegiorum necessariorum et utilium pro conservatione et incremento Universitatis, aggravationem debitorum, difficultatem resistendi eidem injuriantibus, ac subposita ejusdem in suis juribus deffendendi, et volentes Universitati de opportunis remediis contra praedictos deffectus providere: matura deliberatione et unanimi consensu conclusum fuit: quod quivis graduandus in qualibet facultate ejusdem Universitatis tantam in antea dare debet pecuniae summam ad fiscum Universitatis, quanta est medietas totius pecuniae, quam dare debebat prius facultati, in qua graduabitur. (Suspensum est.)

Item de alia contributione pro fisco.

Item Ao. et Rectoratu, quibus supra, die 31. mensis supra dicti facta plena congregatione Magistrorum de con-

silio Universitatis pro sufficienti fisco in Universitate habendo ex motivis immediate supra scriptis conclusum fuit in eadem: quod quodlibet subpositum Universitatis, tantam annuatim debeat contribuere pecuniam ad fiscum Universitatis, quantam per 1 septimanam consumit pro mensa in expensis, isto modo, quod singulis anni quartalibus det quartam partem pecuniae antedictae; conclusum etiam fuit in illis duabus congregationibus factis super fisco in Universitate habendo, quod Universitas debeat capere praedictas pecunias tam de singulis subpositis, quam de graduandis interim, quod ipsa Universitas praedictis pecuniis indigebit pro sui conservatione et incremento ex motivis praescriptis. Si vero, et quam cito Universitas ex motivis supra scriptis tanta non indiguerit pecunia, minorem capiet pecuniam juxta sui indigentiam de pecuniis supra scriptis, et si Universitati aliunde pro fisco suo provideretur, vel alias quocunque modo eveniret, quod Universitas pro sui conservatione et incremento praescriptis pecuniis nullatenus indigeret, ex tunc collectae tam de subpositis, quam graduandis supra scriptae cessare deberent et debebunt ex decreto Rectoris et consilii Universitatis, qui pro tempore fuerint, quia illi ad procurandum bonum Universitatis ultra sua juramenta (supra scriptum: seu promissa) plus aliis sunt asstricti. Insuper conclusum fuit in ante dictis congregationibus de fisco habendo, quod Rector, qui tempore fuerit, de praedictis pecuniis nihil habeat omnino, nec posse dictas pecunias expendendi (sic) nisi ex dictamine et consensu consilii Universitatis, et pro bono communi ejusdem. (In margine: Suspensum est.)

De Sindicis.

Ao et Rectoratu, quibus immediate supra, facta plena congregatione Magistrorum de consilio Universitatis, iidem magistri de consilio multis et maturis deliberationibus prae-

habitis magnam necessitatem ac utilitatem syndicorum pro Universitate constituendorum ponderantes ex motivis partim supratactis ac aliis diversis unanimi consensu praesente notario Universitatis die 30. mensis Septembris conclusum fuit; quod syndici tam in curia romana, quam in Praga essent constituendi, et in eodem consilio constituti fuerunt in syndicos Universitatis coram notario supra scripto M. Joannes Gatzickow in curia Romana, et M. Lodevicus in Praga.

De contributione ad solvendum debita Universitatis.

(Suspensum est.)

Item Ao. et Rectoratu eisdem, quibus supra, die 8. mensis Octobris conclusum fuit in plena congregatione consilii Magistrorum de Universitate quod contributio conclusa tempore rectoratus M. Joannis Winkeleri immediati antecessoris cessare deberet, propter contributionem aliam tempore Rectoratus M. Bartholomei Torghelowe conclusam et praescriptam; videlicet, quod quodlibet subpositum Universitatis tantam ad annum dabit pecuniam, quantam ad unam septimanam pro mensa consumit in expensis, salvo illo, quod de collecta facienda inter festum Galli et festum nativitatis Christi solvetur tanta summa facultati artium, quanta fuit medietas collectae conclusae tempore M. Joannis praedicti, quae collecta fuit, quod Mag. daret per grossum et Baccalarius et scholaris per medium grossum et talis fiet facultati artium tam diu quousque solvantur 20 sexag. grossorum ab ea Universitati pro necessitate sua concessae.

De consilio Universitatis.

In Rectoratu M. Henrici de Bremis magistri in artibus et in medicina sub Ao. D. 1391. die 5. mensis Novembris facta convocatione Universitatis sub hac forma: Magi-

ster reverende silis hodie hora 20. in stuba facultatis artium, ad audiendum relationem et pronuntiationem magistrorum ad hoc deputatorum de et super modo habendi in antea consilium Universitatis sub poena non contradicendi; ubi in eadem convocatione plena Universitatis M. Nicolaus Gubin, arbiter, suo et aliorum magistrorum suorum coarbitrorum per nationes 4 Universitatis ad hoc deputatorum nomine de et super praemisso modo habendi consilium Universitatis in antea pronuntiavit per omnia in haec verba: Ego Nicolaus de Gubin nomine meo et aliorum deputatorum de quatuor nationibus pronuntio, quod in antea Consilium Universitatis debeat celebrari sic: quod omnes magistri, doctores, cujuscunque facultatis nostrae Universitatis Prag. intersint, sive interesse possint consilio Universitatis praedictae, cum consiliariis nationum illo modo sicut a principio Studii, videlicet per inductionem seu voces singulorum fuit observatum; et quod hoc ponatur pro Statuto in libro statutorum Universitatis, sicut hec omnia in instrumento publico per Joannem Furmannum de Budvenis, notarium Universitatis super praedicta convocatione et pronuntiatione confecto plenius continentur.

De cessatione contributionis.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, secunda die mensis Decembris, facta plena congregatione doctorum, magistrorum et consiliariorum de consilio Universitatis Studii Pragensis matura deliberatione fuit conclusum: quod amplius et in antea communis contributio, de qua supra fit mentio imposita doctoribus, magistris, Baccalariis et studentibus dicti Studii cesset, et in suspenso habeatur tam diu, quam Rectori, qui pro tempore fuerit, et Universitati aliud visum fuerit expedire.

De concordia facultatum in Universitate.

Item in Rectoratu M. Hinrici praedicti Ao. D. 1392. die 28. mensis Martii facta convocatione Universitatis in hac forma: Magister reverende, sitis hodie hora 19. in stuba facultatis in Consilio Universitatis ad audiendum pronuntiationem de concordia facta inter facultates sub poena non contradicendi; ubi in plena congregatione Magistrorum Universitatis Stephanus juratus nuntius, ad requisitionem praedicti Domini Rectoris fecit fidem, se omnes et singulos Magistros, sic convocatos et ordinarie sedentes, utrum de alto et de basso compromisissent in Magistros sex certos per facultates deputatos? qui singulariter et divisim responderunt, quod sic, nullo penitus contradicente; quo facto M. Nicolaus Gubin ibidem personaliter constitutus arbiter arbitrator, suo et aliorum magistrorum suorum coarbitrorum consentientium ibidem nomine pronuntiavit in scriptis per omnia in haec verba: Ego Nicolaus de Gubin, Sacrae Theologiae professor, nomine meo, et nomine coarbitrorum meorum mihi de facultatibus aliis adjunctorum pronuntio: quod in Universitate nostra Pragensi ordo infra scriptus in rotulis, in consiliis Universitatis, processionibus et offertoriis, et ceteris actibus Universitatis praedictae tam publicis quam privatis scolasticis, amplius et in antea debeat observari: Rector, qui pro tempore fuerit, sit primus, deinde magistri in Theologia, doctores juris canonici, dein juris civilis, magistri in medicina, deinde Decanus facultatis artium, deinde in Theologia, in jure canonico, in legibus, et in medicina licentiati, deinde Baccalarii formati in Theologia, qui vadant in cappis in processionibus, si mandatum fuerit, in habitibus venire (veniant), deinde Magistri in artibus secundum senium suum, cursores vero in Theologia, si sunt Magistri in artibus secundum senium Magisterii in artibus habeant loca; si vero non sunt magistri in artibus habeant praedicti cur-

sores in Theologia loca inter Magistros in artibus secundum tempus, quo promoventur, si cursor prius promotus fuerit, quam Magister praecedat, si post sequatur; deinde licentiati in artibus, deinde Baccalarii aliarum facultatum habeant ordinem secundum ordinem suarum facultatum; hoc proviso, quod nullus intret Consilium Universitatis antedictae, nisi sit magister vel doctor alicujus facultatis antedictae. Ista ordinatio redigatur in statutum Universitatis, et pro statuto habeatur, et teneatur sub poena duorum millium florenorum solvendorum, quorum medietas praedictorum florenorum veniat parti vel partibus servanti vel servantibus, alia vero medietas veniat pro Universitate antedicta.

Qua pronuntiatione facta Dominus Rector requisivit omnes et singulos magistros praedictos, utrum pronuntiationem ipsam velint approbare, qui ipsam mox approbaverunt et emologaverunt, ratam et gratam habuerunt, prout in instrumento publico super hoc confecto per Joannem, notarium Universitatis plenius continetur.

Quod nullus non intitulatus promoveatur in aliqua facultate.

Item anno et Rectoratu, quibus supra die 1 mensis Aprilis, facta plena convocatione Universitatis sub hac forma: Magister reverende, sitis hodie hora 20. in stuba facultatis artium, in Consilio Universitatis, ad providendum, et ad finaliter concludendum, quod nullus recipiatur vel promoveatur in facultatem vel in facultatibus, nisi prius fuerit ad matriculam Universitatis inscriptus et intitulatus, sub poena, sicut diligitis bonum Universitatis; in qua quidem congregatione, servatis servandis pro statuto fiendo et pro tunc facto, deliberatum provisum et conclusum est: quod in antea nullus, cujuscunque status aut conditionis religiosus

vel secularis fuerit, recipiatur et promoveatur in facultate vel in facultatibus, nisi prius fuerit matriculae Universitatis inscriptus.

De ordine servando inter facultates et poena transgressorum.

Quia facta et habita pronuntiatione inter facultates super materia quaestionis in statuto expressato, de ordine videlicet graduatorum et graduandorum servando in perpetuum cum poena dumtaxat facultati et non personis pronuntiationem dictam transgredientibus fuit adhibita et expresse dictata, nonnullae personae suis de locis cesserunt ordinem non servando, ac per haec pronuntiationi contraveniendo. Ideo Universitas his et futuris volens occurere periculis Ao. D. 1392. quinta die mensis Octobris in Rectoratu M. Hinrici de Rybbenicze facta congregatione sub hac forma: Magister Reverende, sitis hodie hora 19. in consilio Universitatis ad audiendum relationem Magistrorum, qui deputati fuerint ad dictandum poenam excedentibus contra concordiam inter facultates de ordine graduatorum et graduandorum servando per Universitatem approbatam, sicut diligitis bonum Universitatis et non contradicendi. Cursore ejusdem Stephano jurato vocationem omnium vocandorum referente Hinricus de Rybbenicze pro tunc Rector Universitatis conclusit per majorem partem, quod arbitri et arbitratores deputati super dicta materia quaestionis, et concordia facultatum, quia reservaverunt sibi quaestiones hinc inde emergentes, dependentes, incidentes et connexas, interpretarentur poenas in statuto expressas et pronuntiatas. Qui quidem arbitratores interpretati sunt et declaraverunt poenas tam facultates, quam etiam subposita ipsarum astringentes; quod poena in statuto et pronuntiatione expressa de ordine servando inter facultates et subposita ad facultates vel facul-

talem se tantummodo extendat. Persona vero singularis transgrediens, et ordinem approbatum per Universitatem infringens, si coram Rectore et consiliariis causam non ostenderit rationabilem et legitimam, ab omnibus actibus scholasticis tam publicis quam privatis per mensem proximum suspendatur; quae si persona contumax in suspensione hac perstiterit, per annum medium ab eisdem actibus similiter suspendatur. Et si ulterius non curaverit, et animo indurato haec pertransierit, ejus exigentia continua in perpetuum locum in suo genere teneat imum et ultimum, sui gradus locum amissurus. Quae et si non curaverit, ab Universitate publice secludatur. Hanc quoque pronuntiationem interpretationem et declarationem, sicut praemittitur, factam gratam et ratam habit Universitas, nullo penitus contradicente.

Ad quae ratificanda et perpetue ac inviolabiliter observanda ne quispiam subterfugia et excusationes quaerat et habeat denuo, anno, quo supra, quartadecima die mensis Octobris in Rectoratu M. Hinrici, pro tunc Rectoris supra dicti conclusum fuit, ut Rector infra unum mensem cunctis graduatis pro tunc exsistentibus convocatis haec intimet, mandetque, ut Decani singularum facultatum singulis suis subpositis promotis et promovendis statutum in Rectoratu M. Hinrici de Bremis bonae memoriae de ordine inter subposita facultatum publicent et teneri ac observari mandent, sub poenis in pronuntiatione et superius expressatis.

De poena recusantis negotium Universitatis.

Item in Rectoratu M. Hinrici de Rybbenicze Anno quo supra quarta decima die Mensis Octobris facta congregatione consilii Universitatis sub hac forma; Mag. Reverende, sitis hodie hora decima nona in consilio Universitatis ad deliberandum et finaliter concludendum, qualiter illi sint pu-

niendi, quando per Universitatem ad aliquod factum expediendum deputantur, idem assumere recusant, sub poena sicut diligitis bonum Unisersitatis et non contradicendi. Quia plerique, dum et quando Universitatis negotia exportanda fuerant, in his expediendis multis et variis excusationibus Magistri se excusantes, quinimo supterfugientes et renuentes labores ferre recusarunt: ut ergo vigilantius communi Universitatis insistetur commodo, per majorem partem in consilio supra dicto fuit et est conclusum: ut quivis pro bono Unversitatis et incremento deputatus onus sibi comissum legationis aut expeditionis assumere teneatur. Contraveniens quoque deputationibus et mandatis hujuscemodi, nisi causa subsit rationabilis et legitima, quam judicare habet Universitas, poena per Universitatem arbitraria puniatur.

De libertatibus Universitatis.

In Rectoratu Mag. Joannis Elyae.

An. domini 1393. die octava mensis Julii facta congregatione Universitatis sub hac forma: Mag. Reverende, sitis hodie hora decima septima in consilio Universitatis ad concludendum finaliter, an laborandum sit pro libertatibus Universitatis, sub debito obedientiae et poena non contradicendi — conclusum fuit, nullo contradicente, quod debet laborari, et in eadem congregatione commissum fuit quatuor magistris, quod ipsi continuarent laborem et viderent de tempore convenienti; videlicet Mag. Mensoni, Mag. Nicolao de Gubin, Mag. Nicolao de Luthomissel, Mag. Henrico Rybbenitz; adjuncti sunt eisdem Engelschalk, Ysneri, Hildessen, Przibislaus, et illi omnia convenienter continuent, sicut et quando eisdem visum fuerit, et illi communiter continuent, si et quando eisdem visum fuerit, et isti eis juncti sunt, in vigilia Margarethae super eo specialiter facta convocatione.

De summa super privilegiis.

In Rectoratu Mag. Heinrici de Homberg.

Anno D. 1394 die vicesima tertia mensis Martii in plena congregatione Magistrorum Universitatis facta sub debito obedientiae, et sub poena non contradicendi, cursore ejusdem Universitatis Stephano jurato, vocationem omnium vocandorum referente, in praesentia Mauritii notarii conclusum fuit per majorem partem, nullo contradicente penitus, quod dominus Rector se et successores suos nomine Universitatis pro literis extrahendis in curia Romana super articulis conceptis et infra scriptis obligare possit et debeat, usque ad summam ducentorum florenorum auri di Ungaria boni et justi ponderis vel citra, sub modis et viis, sicut isti octo Magistri prius in Rectoratu Mag. Joannis Elyae deputati dictabant, et sicut eis videbitur expedire; qua conclusione facta, dictus Notarius ex jussu Domini Rectoris coeperat promissum ab omnibus et singulis magistris, quod ea, quae super his per dictum Dominem Rectorem, et istos octo deputatos, acta, facta, et ordinata fuerint, velint rata et grata et inviolabiter observare, sicut in instrumento publico desuper confecto plenius continetur.

De articulis privilegiorum.

Articuli autem super quorum materia literae sunt extrahendae in curia Romana et de quibus fit mentio in statuto immediate praecedenti sunt isti:

I. Primus, quod Rector, qui pro tempore fuerit, habeat jurisdictionem et justitiam faciendam in suos studentes, etiam incarcerandi et excomunicandi eos excessibus et demeritis eorum exigentibus libere et sine impedimento; quia super re exili et parva, quae concernit pecunias et discordias,

cives et mechanici, cum quibus studentes conversantur, et communionem habent justitiam coram ordinario loci contra eosdem, quaerere nolunt et non possunt, eo quod a laboribus suis vacare non valent et pro advocatis, procuratoribus, et notariis impendere, ut etiam sententias judicum redimere nolunt, et longos tractus judicii spiritualis expectare nequeunt; qui etiam tractus et strepitus judiciorum spiritualium multipliciter in studio studentes impedirent, propter que, scilicet discordias et debitum pecuniarum et similia ad verbera studentes ad invicem, etiam cum civibus saepius perveniunt et currunt cum gladiis; quod consilium civitatis sustinere non valens cogitur studentes incarcerare et sic totam Universitatem turbari, in lectionibus, praedicationibus et disputationibus, et ceteris actibus scholasticis impediri; praemissa mala et plura alia in Universitate contingunt, quia Rector studentes suos corrigere et coercere pro excessibus suis propter defectum privilegiorum et libertatum non valet, et corrigere impeditur; propter quod studium notabiliter recipit et recepit detrimentum, et antiquiora et nobiliora supposita coguntur et coacti fuerunt recedere.

II. Item quod studentes beneficiati habeant redditus beneficiorum suorum, pro studio ad decem annos, ne beneficiati cogantur ad alia studia se divertere, ubi etiam inter alia privilegia hoc privilegium habent.

III. Item quod Rector, qui pro tempore fuerit, decanus omnium Sanctorum in castro Pragensi et Senior Magister in sacra Theologia, et quilibet eorum, habeant auctoritatem absolvendi studentes Universitatis antedictae, pro injectione manuum violenta, etiam pro enormi laesione in clericis, ne sedem apostolicam laboribus et expensis in dispendium studii sui cogantur visitare.

IV. Item, quod dicta Universitas, pro ut aliae Universitates habent, habeat conservatorium jurium et privilegiorum suorum perpetuum, sine cujuscunque temporis limitatione.

V. Item, quod Mag. Lupus, Decanus ad omnes Sanctos, minime pro 20 personis ex rotulo dictae Universitatis procuret reformationem, suplicationem in gratiis sub dato V. Idus Novembris anni primi, et signanter pro Mag. Henrico de Homberg, pro nunc Rectore et pro Mag. Alberto Engelschalk, tunc Rectore dictae Universitatis tempore gratiarum.

De pretio super signaturis privilegiorum.

Item anno et Rectoratu, quibus supra tertia die mensis Aprilis in plena congregatione istorum octo Deputatorum pro Universitate conclusum fuit, omnibus unanimiter consentientibus, quod Mag. Lupus Decanus ad omnes Sanctos, onus laborandi pro signatura articulorum conceptorum et praescriptorum, et procurandi literas super eisdem, quod prius in praesentia Domini Rectoris, Mag. Nicolai Gubin et Mag. Nicolai Luthomissel acceptaverat, acceptare debeat in praesentia domini Rectoris, et octo Magistrorum Deputatorum sub hac forma: Quod Rector Universitatis, nomine ejusdem sibi dare debeat 60 florenos ungaricales. 30 florenos pro laboribus, alios 30 pro signatura exportanda et si aliquid ultra illos florenos pro signatura illa exportat. Rector, qui pro tempore fuerit, nomine Universitatis sibi solvere debeat, in quantum hoc dixerit vel obtinuerit in conscientia sua. Et quodsi elaboret signaturam omnium articulorum, et maxime primi et secundi, Universitas sibi facere debeat propinam conpetentem ultra praedictam; et quod pro literis redimendis super articulis conceptis dictus Dominus Decanus obliget se sub poena camerae vel alia poena quacunque; et quod Dominus Rector se et successores suos nomine Universitatis sibi obliget ad tenendum ipsum indemnem de obligatione ista, qua sic obligabit se usque ad summam ducentorum florenorum vel citra pro literis extrahendis super articulis conceptis et praescriptis.

De eodem.

Item anno et Rectoratu, quibus supra die 5. mensis Aprilis in plena congregatione istrum octo Deputatorum, in stuba Mag. Nicolai Luthomisl, in praesentia ejus et Magistrorum Deputatorum 8 Postquam Dominus Rector induxit, an Mag. Lupus, qui pro tunc erat in eadem domo, sed in alio commodo acceptare deberet onus procurandi in praesentia ejus et Magistrorum 8. et fidelitatem promittere et an Dn. Rector deberet se et successores suos nomine Universitatis obligare, ad tenendum indemnem Mag. Lupum de obligatione, qua obligabit se pro literis redimendis super articulis conceptis et praescriptis, sicut prius erat conclusum; et utrum deberet se obligare et suos successores pro aliis in priori conclusione conclusis. Conclusum fuit, ex votibus sic unanimiter omnium, quod sic fieri deberet, quo ad omnia ista. Vocatus igitur Mag. Lupus Dn. Decanus ad praesentiam Domini Rectoris et octo Magistrorum Deputatorum dictum onus procurandi acceptavit, et fidelitatem promisit ad manus domini Rectoris, in praesentia Notarii publici Mauritii, quibus factis Dn. Rector se et successores suos nomine Universitatis in prasentia ejusdem Notarii obligavit Magistro Lupo, Domino Decano ad tenendum eum indemnem de obligatione, qua obligabit se usque ad summam ducentorum florenorum pro literis extrahendis super articulis conceptis, et quodsi dictus Dn. Decanus ultra 30. fl. pro signatura aliquid exposuerit, quod in conscientia sua obtinebit, vel dicet etiam quod hoc Rector, qui pro tempore fuerit, sibi solvere debeat, et si signaturam omnium articulorum, et maxime primi et secundi de mediis fructibus elaboret, Universitas sibi facere debeat propinam competentem, sicut in instrumento publico super hoc per dictum Notarium confecto plenius continetur; quibus factis Dn. Rector induxit, utrum 60 floreni ungaricales Magistro Lupo statim essent

dandi, qua inductione facta omnibus consentientibus conclusum fuit, quod sic. Dominus Rector igitur volens, exequi illam conclusionem, in parata et numerata pecunia 60 fl. ungaricales sibi statim dedit, nomine Universitatis, in praesentia Notarii ejusdem, sicut etiam in instrumento publico per eundem confecto plenius continetur.

De pretio scedularum Rectoris.

Ao. Domini 1394 in Rectoratu Mag. Joannis de Moravia in plena congregatione Universitatis conclusum fuit, quod de sigillis Rectoratus, qui inprimuntur pro convocatione nationis vel pro exequiis mortuorum, et ubi scripta plura concordant, quod ibi Rector debet habere unum grossum de sigillis et Notarius unum grossum de labore suo, si scribit scedulas, potest quilibet illas libere per se scribere et praesentare Rectori ad sigillandum; et adjectum fuit, quod pro cera Rector per medium annum a qualibet natione unum grossum recipere posset, et quotiens opportunitas exigeret tres vel quatuor sigilla imprimere pro uno grosso, dummodo scedularum inscripta est eadem materia.

In Rectoratu magistri Petri de Reddino.

De conservatorio Universitatis.

Ao. Domini 1395. indictione tertia, die Mercurii 7. Aprilis, hora nona, seu hora horologii 15. in collegio Caroli, in stuba facultatis artium constituti personaliter honesti et scientifici viri Domini Magistri: Petrus de Redino, Rector almae Universitatis studii Pragensis, Menso, J. Hildesin et ceteri Magistri dictae Universitatis studii Pragensis congregationem facientes, et ad audiendum relationem octo Deputatorum per Universitatem, videlicet Dominorum: Mensonis de Bekhusen, Nicolai de Gubin, sacrae Theol. professoris, Al-

berti Engelschalk, tunc Decani facultatis artium, Joannis Isneri, tunc licenciati in sacra Theol. Joannis Hildesin, tunc Bacall. in sacra Theol. Nicolai de Leuthomischl Henrici Rybenicz et Pržibislai de Jessenic, pro tunc praepositi collegii Caroli super certis articulis et factis dictae Universitatis tempore Rectoratus, Mag. Henrici Homberg eis per ipsam Universitatem commissis et ad tractandum et concludendum super his, sicut diligunt bonum Universitatis et sub poena non contradicendi ad horam et locum praedictos per Stephanum dictum Czerwenka, juratum bidellum dictae Universitatis de mandato praedicti Mag. Petri de Reddyn, Rectoris specialiter congregati et convocati, de qua convocatione idem Stephanus ibidem fecit debitam fidem et relationem, ubi praemissum per eundem Dominum Rectorem secundum morem et observantiam.

(Hic deest integrum codicis folium, Pag. A. XIX. sequentibus incipit) dixerunt. Quapropter Rector saepe dictus convocatis duobus clavigeris Universitatis in praesentia duorum consiliariorum Universitatis cistam aperuit et juxta decretum Deputatorum prasentibus ex ipsis duobus 13 sexag. gr. Pragens. in florenos commutandas excepit. Insuper tres flor. ungaricales et tres gr. faciens cum illis, sicut sibi fuit creditum et commissum die 18. mensis Augusti, horis horologii 17. vel circa. Clavigeri fisci Universitatis fuerunt Stanislaus de Znoyma et Nicolaus Stoer, Magistri in artibus, consiliarii praesentes Magister Andreas de Zelenicz et Magister Joannes de Allstet, ambo professi in artibus; deputati duo praesentes fuerunt: Albertus Engelschalk, Heinricus Ribbeniz, Magistri in artibus cum aliis Magistris et personis fide dignis. Posthaec autem in adventu Mag. Heinrici dicti Ryve scriptore seu ingrossatore literarum apostolicarum praedicti Magistri Deputati collatione et informatione praehabita cum eodem intellexerunt, quod ultra omnem pecuniam jam habitam adhuc necessarii essent viginti floreni, com-

miserunt Rectori recipere septem sexag. gr. Pragens. de fisco Universitatis, qui juxta informationem illorum collectis clavigeris et consiliariis recepit eandem pecuniam, et eam in viginti flor. ducatos commutavit. Reliquum patebit in ratitione Rectoris praedicti, quam faciet post festum Sanct. Galli, scilicet de pretio florenorum et aliis inpensis ad praemissa.

De Bidello.

A. Dom. 1396. indictione quarta die decima nona mensis Novembris in Rectoratu Mag. Heinrici de Perching, sacrae Theologiae professoris super electione bidellorum plena congregatione facta Nicolaus dictus Albus, notarius publicus de Swidna, Pragensis Dioecesis in locum bidelli est assumtus et electus, qui quidem Nicolaus ibidem Rectori et successoribus suis et Universitati juravit prout moris est et cetera, (Quod sequitur alio calamo serius adscriptum est.)

An. Dom. 1444. die 27. mensis Magi in Rectoratu Mag. Wenceslai de Prachaticz Doctoris Medicinae, Joannes Joannis de Hostuna in plena congregatione Magistrorum assumtus et electus est in locum bidelli, qui quidem Joannes ibidem Rectori et suis successoribus et Universitati juravit, pro ut moris est. (Item alio calamo subjunctum exstat.)

An. Dom. 1477 in Rectoratu Magistri Pragensis Petrus de Lutomieřzycz assumtus est in locum bidelli, facultate Magistrorum super hoc convocata et annuente, qui Petrus promissa consueta praefacto praestitit Rectori.

In Rectoratu Mag. Nicolai Magni de Jawor.

De pecuniis privilegiorum.

A. Dom. 1397. die 16. mensis Junii facta congregatione per hunc modum: Mag. Rev! sitis hodie hora 17. in congregatione Universitatis, ad providendum de pecuniis solvendis Mag. Henrico Rvve pro extractione bullarum sub

poena non contradicendi et sicut diligitis bonum Universitatis. In qua congregatione conclusum fuit nullo contradicente, quod pecunia centum flor. et unius sit solvenda praedicto Mag. Henrico, et de modo habendi pecuniam praedictam deputati fuerunt in eadem congregatione Magistri octo superius saepe nominati praesentes, videlicet: M. Menso, M. Albertus Engelschalch, M. Joannes Hildess, M. Nicolaus Luthomisl, M. Henricus Ribbenicz, M. Przibislaus, loco absentium, scilicet M. Joannis Isneri et M. Heningi Burg de novo deputati fuerunt M. Petrus Pozer pro tunc Decanus facultatis artium et M. Joannes Winkleri, sacrae Theologiae professor. In praedicta autem congregatione praesentes erant M. Petrus Pozer, M. Joannes Helie, M. Henricus Homberg, M. Joannes de Mutha, M. Daniel de Praga, M. Jo. Eberspach et M. Nicolaus Ceystermaister et multi alii Magistri de Universitate.

De eodem.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die 23. mensis Junii facta plena congregatione Magistrorum sub hac forma: M. R. sitis hodie 17. hora in congregatione Universitatis ad concludendum finaliter de modo acquirendi pecunias ad solvendum Mag. Henrico Ryve sub debito obedientiae et poena non contradicendi. Conclusum itaque fuit ex vocibus majoris partis et nullo contradicente, quod per contributionem membrorum omnium Universitatis pecuniae superius memoratae sint acquirendae.

De eodem.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die ultima mensis Junii facta plena congregatione Magistrorum sub hac for-

ma: M. R. sitis hodie hora 17. in congregatione Universitatis ad tractandum et concludendum de quantitate pecuniae contribuendae, et de modo exequendi, sub debito obedientiae, et poena non contradicendi. Conclusum fuit ex vocibus omnium Magistrorum pro tunc praesentium nullo contradicente, quod per quatuor Magistros in eadem congregatione concorditer deputatos tam quantitas pecuniae quam etiam modus exequendi essent invenienda; Deputati autem Magistri erant: M. Joannes Wynkleri, M. Nicolaus Luthomisl, M. Joannes Artsen et M. Helmoldus.

In Rectoratu M. Nicolai Magni de Jawor.

De quantitate contributionis.

In nomine Domini Amen. Anno nativitatis ejusdem 1397. indictione quinta, die ultima mensis Junii, hora vesperorum vel quasi, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et Domini nostri Domini Bonifacii divina providentia Papae IX. anno 8. in majori civitate Pragensi, in Collegio Caroli in stuba majori superiori stuba facultatis alias nuncupata, in quam Universitas studii Pragensis pro consiliis et ad tractandum consilia convenire consuevit, in mei notarii publici infra scripti et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum constitutus personaliter venerabilis vir, Dominus et Magister Nicolaus Magni de Jawor, sacrae Theologiae professor, Rector Universitatis studii Pragensis una cum aliis plurimis Magistris de Universitate praedicta exsistentibus et ipsis ibidem in plena convocatione Universitatis ad tractandum de certis factis consiliis et negotiis praefati studii convocatis et congregatis. Quibus sic congregatis honorabilis vir Dominus et Magister Menso de Beckhusen, Sacrae Theologiae Professor ibidem, praesens et cum infra scriptis Magistris ibidem ordinarie sedens, de mandato praedicti Do-

mini Rectoris, per me praedictum Notarium expresse requisitus, utrum ipse Magister Menso vellet approbare decretum in eadem Universitate de contributione danda modo infra scriptum factum et conclusum; ubi idem Mag. Menso dicens, se mox facto velle approbare praedictum decretum. de contributione factum 16 grossos pro persona sua nomine dictae contributionis parata in pecunia in continenti ibidem contribuit et persolvit et mox recessit. Quo facto praefatus Dominus et M. Nicolaus Rector per se honorabiles viros Dominos Magistros alios, videlicet Joannem Wynkleri, Joannem Elye, Nicolaum Luthomisl, Joannem Hyldesem, Matthiam Legnicz, Conradum de Beneschaw, Albertum Engelschalk, Petrum Reddin, Petrum Pozern, Joann. de Mutha et Joann. de Monsterberg et omnes alios et singulos Magistros ibidem praesentes et ordinarie sedentes ad infra scriptos tractatus et consilia congregatos, et quemlibet ipsorum nominatim et divisim alta et intelligibili voce interrogavit et requisivit expresse, videlicet, si ipsi et quilibet ipsorum vellent seu vellet approbare decretum tunc in eadem convocatione de contributione modo per omnia infra scripta danda factum et conclusum, ut praemittitur. Qui omnes et singuli et quilibet ipsorum divisim et singulariter praedictum decretum de contributione factum sponte et libere, nullo penitus contradicente approbaverunt. Cujus quidem decreti tenor mihi praescripto notario per praedictum Dominum Rectorem traditus sequitur per omnia, et est talis: Quilibet Magistrorum de collegio omnium Sanctorum det 16 grossos, quilibet de collegio Caroli 12 grossos, quilibet de collegio Regis 8 quodlibet aliud suppositum Universitatis det tantum, quantum per septimanam expendit pro expensis pro se tantum, vel pro se et pro alio vel aliis simul, vel si per se et pro se non exponit, det tantum, quantum exponeret verisimiliter, si pro se expenderet. Item feria secunda fiat congregatio generalis totius Universitatis, et ibi fiat exhortatio ad ipsam Universitatem cum insinuatione privilegiorum novorum,

et postea fiat divisio nationum, et in qualibet natione Magistri de natione seniores persuadeant suis, quod benivole se submittant decreto praedicto: et in casu, quo noluerint, apponatur poena certa, scilicet suspensionis ab actibus, vel quod lectiones eis non valeant pro gradibus suscipiendis et poenis per Universitatem in posterum infligendis, vel quod renuntient privilegiis quantum ad usum. Item istud redigatur in statutum tantum pro ista vice. De quibus omnibus et singulis praefatus Dominus Nicolaus Rector suo et praedictae Universitatis nomine petiit sibi per me Notarium publicum infra scriptum fieri et confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt haec Anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco, quibus supra, praesentibus honorabilibus et discretis viris Dominis et Magistris: Nicolao de Sweydnicz, dicto Ster, Petro Sturch, Joanne Ebuspach, Francisco Krzyswicz de Brega, Magistris in artibus praedictae Universitatis, clericis Wratislawiensis Dioecesis, et aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Joannes, quondam Petri dicti Strzyelnik de Olsna, clericus Dioecesis Wratislawiensis, publicus imperiali auctoritate Notarius, praedictis omnibus et singulis, Magistrorum requisitioni, et praedicti decreti de contributione praedicta solvenda approbationi, omnibusque aliis et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

De conservatoribus nationis Saxonum.

Item Anno et Rectoratu, quibus supra, die septimo mensis Julii facta plena congregatione Universitatis sub hac forma: M. R. sitis hodie hora 16. in congregatione Universitatis ad

tractandum et concludendum, quomodo providendum sit uni nationi, cui non est provisum in conservatorio de conservatore in loco sibi competenti, sicut aliis, sub debito obedientiae et poena non contradicendi. Conclusum itaque fuit: Imo. Ex vobus omnium, quod tali nationi sit providendum per subconservatores et non per principalem conservatorem ex certis causis. Item in eadem congregatione conclusum fuit ex vocibus majoris partis, quod providendum sit nationi praedictae per duos subconservatores irrevocabiles in locis antedictae nationi magis competentibus secundum possibilitatem Universitatis sub expensis Universitatis ejusdem.

De eodem.

Item Anno, Rectoratu et mense, quibus supra immediate die 9. facta plena congregatione sub hac forma: M. R. sitis hodie hora 17. in congregatione Universitatis ad audiendum relationem ex parte cujusdam nationis non habentis conservatorem in loco sibi competenti, sub debito obedientiae et poena non contradicendi. In qua quidem congregatione auditis motivis nationis praedictae persuadentis, quia non possit habere subconservatores irrevocabiles, nec etiam duo sufficerent pro dicta natione. Idcirco commissum fuit tribus magistris, videlicet M. Mensoni, M. Joanni Wynkleri et M. Nicolao Luthomisl ad tractandum cum saepe dicta natione de modo convenienti secundum informationem nationis supra memoratae.

De eodem.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die undecima mensis Julii facta plena congregatione Universitatis sub hac forma: M. R. Sitis hodie hora 16. in congregatione Universitatis, ad audiendum relationem concordiae factae inter quandam nationem et Universitatem, et ad finaliter concludendum, sub poena non contradicendi et sicut diligitis bonum Univer-

sitatis. In hac siquidem congregatione venerabilis vir Mag: Menso nomine suo ac secum deputatorum scilicet M. Joannis Winkleri et Mag. Nicolai Luthomisl, retulit, quod natio praedicta scilicet Saxonum debeat a quolibet trium Conservatorum principalium habere duos subconservatores sub expensis Universitatis, ita quod Universitas procuret subconservatores jam dictos secundum formam supra expressam et praesentet praedictae nationi. Quae quidem natio si voluerit retinere apud se, retineat, vel mittat, quocunque sibi placuerit, sub expensis tamen propriis. Et in casu, quo ex decreto Universitatis originale conservatorii ad duos conservatores extraneos principales, scilicet Wratislawiensem et Maguntinensem non perveniret, neque pervenire deberet, quod praedicta natio ex hoc nihil moveat, et in nullo causeatur.

(Sequentia ad materias superius et inferius conscriptas de Magistro Paulo Žid non pertinentia aliis calamis 47 annis post in spatio forte vacuo subjuncta sunt.)

De quadam culpa Magistri Pauli Zid.

Item anno Domini 1444. in Rectoratu Mag. Procopii de Plzna, quidam Mag. Paulus de Praga, aliquando Judaeus, propter quandam culpam, qua totam Universitatem offenderat, ex conclusione Universitatis et judicio in maximam poenam Universitatis inciderat. Sed ad ejus humiles preces sub his verbis Universitati porrectas: Venerabilis Domine Rector et Magistri Reverendi! peto propter Deum parcatis mihi excessum meum — culpa sua est sibi gratiose dimmissa: sed ista conditione adjecta, si unquam in futurum in eandem aut similem culpam prolapsus fuerit, quod ipso facto in praefatam latam poenam suprascriptam iam sit absque indulgentia judicatus.

(Alio calamo.)

Item anno Domini 1447. in Rectoratu Mag. Mauritii de Benessow, idem Mag. Paulus accusatus per venerabilem Mag. Wenceslaum de Prachaticz Medicinae Doctorem, et te-

stibus coram Universitate idoneis convictus verba sua taliter retractavit, ut sequitur: Ego Magister Paulus de Praga confiteor coram tota Universitate, quod verba illa, quae protuli contra medicos, dicens, quod omnis medicus est homicida, dixi false et inconsiderate, de quo doleo, et peto veniam ab Universitate et a facultate medicinae. Item in hoc, quod confudi, personam Mag. Wenceslai, doctoris medicinae, dicens, ipsum sillabicatorem. Confiteor, quod male dixi: sed verius dicere debui et dico probatum doctorem. Ideo peto veniam ab eodem domino doctore. Item propter praedicta peto humiliter et propter Deum dominum Rectorem et totam Universitatem et facultatem praesertim medicinae, ut dignentur mihi culpam meam misericorditer indulgere. Et in futurum me obligo, quodsi quid talium fecero, ex tunc subjicio me poenae per Universitatem inferendae. Acta sunt haec in stuba facultatis coram Universitate.

De contributione de novo intirantium Universitatem.

Anno et Rectoratu, quibus supra, 21. die mensis Julii, hora 17. facta plena congregatione Magistrorum sub debito obedientiae et poena non contradicendi, conclusum fuit, nullo contradicente, quod de novo intrantes Universitatem tempore intitulationis eorum, si pro tunc habuerint, vel infra unum mensem proximum sequentem, contributionem pro privilegiis novis proportionabiliter dare et solvere debent Rectori ad fiscum Universitatis secundum formam superius expressam circa illos, qui praesentes erant tempore contributionis factae generalis, et hoc facere tenentur sub poena deletionis a matricula Universitatis; ita quod quilibet Rector, qui fuerit pro tempore, tam dantes contributionem, quam non dantes, signet in locis tamen diversis, dantes per eum intitulatos in matricula reservet, non dantes vero, qui tamen dare promiserunt, lapso mense, cujuslibet de novo intitulati vel in fine Rectoratus sui deleat a matricula supra memorata.

De absentium contributione.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die 24. mensis Julii, hora 17. facta congregatione Magistrorum in stuba facultatis, ad tractandum et concludendum, quid agendum sit cum illis, qui absentes fuerunt, tamen intitulati et cetera, sub debito obedientiae et poena non contradicendi. Conclusum fuit nullo contradicente, quod Rector, qui pro tempore fuerit, bis in anno, scilicet temporibus congregationum Universitatis generalium, circa principium et finem Rectoratus sui verbo et scripto mandare tenebitur, quod quilibet, qui tempore contributionis factae generalis praesens non erat, quamvis prius fuisset intitulatus, contributionem solvat infra 8 dies se continuo sequentes, sub poenis praestiti juramenti, privationis usus privilegiorum et aliis poenis per Universitatem infligendis, scilicet, quod in examinibus pro gradibus impediantur pro illa vice, et tam diu, donec contributionem dederint tantam, et proportionabiliter ad illos, qui erant praesentes temporis contributionis factae universalis superius memoratae.

De Rectoris jurisdictione.

Item anno, Rectoratu et mense, quibus supra, facta congregatione omnium Magistrorum Universitatis sub debito obedientiae et poena non contradicendi, ex vocibus omnium Magistrorum tunc in magna multitudine praesentium et concorditer dicentium, nullo contradicente conclusum fuit: Quod per octo Magistros quoddam bonum arduum et magnum et Universitati multum, si veniret, proficuum esset tractandum, quod tunc propositum fuerat, tamen in genere (?) ex causa rationabili, et de consilio magistrorum plurium seniorum, puta, per M. Mensonem, sac. Theol. professorem, M. Joannem Winkleri, professorem ejusdem, M. Petrum Posern, pro tunc Decanum facultatis artium, M. Jo. Hildesym, pro tunc in Theol. licentiatum, M. Heynricum de S. Gallo, M. Nicolaum

Leuthomisl, bacal. in eadem, M. Nicolaum Beyer, pro tunc praesentatum ad cursum legendum, M. Przybislaum; quibus inquam Magistris reverendis de alto et basso per deputationem concordem commissum fuit praedictum bonum tractandum et disponendum et, si pecunia esset exponenda, post impetrationem tacti boni vel ante. Et etiam de hoc, quod Rector, qui pro tempore fuerit, sit exemtus, et quod habeat jurisdictionem plenam in sua supposita excomunicandi et incarcerandi etc.

De signeto.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die 28. mensis Julii, hora 17. facta congregatione Magistrorum generaliter omnium et Universitate ad audiendam relationem de usu privilegiorum, et ad concludendum finaliter sub poena non contradicendi, et sicut diligerent bonum Universitatis, conclusum fuit: I^mo. Ex pluralitate vocum nullo contradicente, quod a quolibet volenti uti Conservatorio et privelegio absentiarum, signetum a Rectore sit recipiendum. Secundo conclusum fuit in eadem congregatione, quod Magister de signeto pro usu conservatorii debeat dare unum grossum, Baccalarius duos grossos, Studens simplex tres grossos, et hoc, quantum ad illos, qui dederunt contributionem; qui autem non dederunt eam dent, quemadmodum prius, de antiquo conservatorio novem grossos vel contributionem una cum dando de signeto secundum formas supra expressas. Insuper tertio fuit conclusum in jam dicta congregatione, quod Domini conservatores per Universitatem sint petendi, quatenus nulli decernant fieri citationem, nisi signetum Rectoris habenti. Item quod sub eadem forma subdelegent, si quos per eos contigerit subconservatores subdelegari. Item quod Notarii et advocati supposita Universitatis causas habentia non gravent moderatum salarium recipiendo.

De usu privilegiorum.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, anno Domini 1397. indictione quinta, Sabbato proximo post festum Assumtionis S. Mariae virginis, quae fuit die Saturni, 18. mensis Augusti, hora horologii 18. pontificatu sanctissimi in Christo patris et Domini nostri, Domini Bonifacii, divina providentia Papae IX. anno octavo, in collegio Caroli, in Estuario magno, ubi congregationes Magistrorum fieri solent, Constituti personaliter honorabiles et scientifici viri, domini Magistri: Nicolaus Magni de Jawor, Rector almae Universitatis, studii Pragensis, Joannes Hildesen, Nikolaus de Luthomisl, Joannes Winkleri, Marcus de Grecz, Joannes Huibneri (L. D. Hubeneri), Stanislaus de Znoyma, Joannes de Clumyn, Mauritius de Buczina, Joannes de Eysteth, Joannes de Folonia, Joannes Eberspach, Arnoldus de Stargardia, Heningus Hildesen, et alii quam plures Magistri in minimo viginti duo, excluso ipso domino Rectore ad hanc horam propter infra scripta specialiter deputati, congregati et convocati ad tractandum et solvendum quoddam dubium, quod respicit commissionem factam octo Magistris per Universitatem deputatis de usu privilegiorum apostolicorum conservatorii, et de fructibus percipiendis, sub poena non contradicendi et sicut diligunt bonum Universitatis, per Nicolaum dictum Albus, Bidellum seu nuntium juratum dictae Universitatis specialiter evocati, de qua evocatione idem Nicolaus Bidellus per juramentum fecit fidem seu relationem. Qua relatione sic facta, mox ibidem dictus dominus Mag. Nicolaus Rector proposuit, qualiter in proxima convocatione et congregatione jam peracta super usu dictorum privilegiorum facta, propter diversitatem et pluralitatem vocum Magistrorum fuerunt et sunt octo Magistri deputati ad disponendum et tractandum ac concludendum finaliter de usu dictorum privilegiorum. Et quamvis fuissent ad id deputati, tamen dubitabant, an de alto et basso tractare et disponere de-

buissent et potuissent: ubi statim praefatus dominus Rector solvendo illud dubium, suo nomine dixit, declarando in audientia praedictorum omnium Magistrorum, quod dicti octo Magistri deputati debent et possunt hujusmodi rem de alto et basso decidere, sicut eis placet. Et requisivit ibidem dictus Dominus Rector singulariter singulos, an hujusmodi declarationi dubii se submittere vellent; ubi omnes praedicti magistri requisiti ad haec verba nihil responderunt, exceptis tribus Magistris, videlicet Joanne Hildesen, Arnoldo et Heningo praescriptis, qui se ad hoc submittere noluerunt, nisi quod vellent scire et intelligere, quid per dictos deputatos pronuntiaretur, et post hoc vellent habere, licitum jus, submittendi se, vel ab hujusmodi pronuntiatione appellandi. De quibus omnibus hinc inde petierunt eis fieri publica instrumenta. Acta sunt haec, ut supra.

De signeto et usu privilegiorum.

Item anno et Rectoratu, quibus supra 24. die, mensis Augusti congregatis octo Magistris deputatis, de quibus immediate dictum est supra, scilicet M. Petro de Znoyma, S. Theol. professore, M. Matthia de Legnicz, licenciato in eadem, M. Ludopho, M. Heinrico Homberg, M. Joanne Altenaw, M. Helmoldo, M. Joanne Mutha et M. Joanne Monsterberg ad tractandum de usu Conservatorii conclusum fuit ex vocibus eorundem, omnibus assentientibus, quod nullus uti debeat Conservatorio, nisi habeat Rectoris signetum, dummodo commodose habere poterit, sine fraude, sub poena dimidii floreni, quam si requisitus neglexerit, sive recusaverit dare, ipso facto perjurus censeri debet. Si vero aliquis privilegio conservatorii usus fuerit, non habito signeto Rectoris, dummodo fraudem non commiserit circa signeti receptionem, quia forte in loco erat, et sub tali dispositione quidem ad recipiendum signetum copiam Rectoris habere non poterat, nihilominus pecuniam de

signeto recipiendo solvendam quantocius mittere debet Rectori, saltem si poterit commodose sub poena praefata immediate.

Item tunc conclusum fuit, quod hoc servare jurent (supra scriptum, seu promittant) de novo intrantes ad Universitatem tempore intitulationis eorundem.

Item anno et Rectoratu, die, quibus supra, conclusum fuit, quod originale Conservatorii mittendum et praesentandum sit, omnibus conservatoribus, etiam extraneis, sub expensis Universitatis, modo convenientiori ac securiori, quo hoc fieri poterit.

Item anno et Rectoratu, quibus supra, die 28. mensis Augusti facta congregatione in commodo Rectoris 8 Magistrorum deputatorum, etiam (Hic proh dolor! quatuor folia verisimiliter plura notatu dignissima de memoratis privilegiis et Mag. Joanne Hus referentia exsecta sunt. De hinc sequuntur)

Quod omnes Magistri non debent praetorium visitare.

De concordia inter Universitatem et civitatem Pragensem.

(Serius additum.)

.. mensis Januarii, facta congregatione Magistrorum Universitatis sub hac forma: M. R. sitis hodie, hora 19. in congregatione ad audiendum relationem Dni. nostri Dni. Wenceslai, Romanorum et Bohemiae regis per Rectorem proponendam, sub poena, sicut diligitis bonum Universitatis. Conclusum est de mandato regio et Magistris consentientibus, quod Scabinis non est tanta reverentia exhibenda, sicut Domino Regi, scilicet, quod omnes Magistri deberent, praetorium visitare, sed quidam seniores Magistri visitent scabinos. Tandem stante eadem congregatione Rex misit per M. Sdeniconem, Decanum omnium Sanctorum, quod 12 Magistri vel 16 cum Rectore visitent ad praetorium: et sic Rector assumtis 12

Magistris secum senioribus inter quos primus erat: M. Joannes Hildesen, S. Theol. Professor, Decanus tunc facultatis Theologicae, M. Petrus de Znoyma et Stanislaus de Znoyma, S. Theol. professores, M. Joannes Swevus de Monte leonum, doctor Medicinae, M. Petrus de Policz, decanus facultatis artium, et celeri Magistri, visitavit scabinos, et jussit Mag. Joanni de Hussinecz, S. Theol. baccalario formato, tunc quodlibetario, qui fecit propositionem subscriptam. Tandem Johanco Ortl, Magister civium pro tunc consilio habito respondit: Sicut semper fuimus adjutores et defensores privilegiorum et libertatum Universitatis, sic sumus et volumus esse; sic tamen, quodsi ex vestris, quis excesserit, per vos judicetur: si quis vero ex nostris vos in aliquo offenderit, volumus justitiam facere, ut vivamus simul adjuvante Deo et domino Rege (supra scriptum serius: bona) in pace. Et sic grates retulimus eis.

(Nota sequens iterum vacuae folii parti serius adscripta est.)

Exclusio cujusdam baccalarii propter quas causas; et praesertim quod a Directoribus ad nationem et Universitatem appellavit.

Anno Dni. 1462. die 13. mensis Augusti, in Rectoratu Mag. Joannis de Praga appellatione facta baccalarii Jacobi de Hradecz Reginae a Directoribus ad nationem, causa bene notabili et legitima per Directores pensata, et sententia lata eidem baccalario ad emendandum injuncta, cui acquiescere nondum voluit. Tandem Rector cum Directoribus honorem et jurisdictionem suam adtendentes eundem baccalarium in praesentia Magistrorum nationis fere totius statuerunt. Ubi prius parte ab utraque pensatis et pensandis, quae causae interfuit, Magistri nationis Directoribus et Rectori fere ex un-

animi consensu acquieverunt, ut baccalarius praefatus ab Universitate secludatur. Si autem proterviam suam, qua contra Directores procedebat, obmitteret, humiliationem faciens et gratiam obtinere volens quietaret, mitius et benignius secum ageretur. Hisdem (sic) autem a praefato baccalario non emendatis, exclusio ejus simpliciter facta est ab Universitate; et per hos injunctum est et conclusum, ut appellationes contra Directores a membris nationis per amplius non fiant ad nationem; sed Directores omnia, quae spectant Directuram secundum jus et auctoritatem eis ab Universitate traditam disponant et agant. Simile habetur in decanatu M. Joannis de Praga signatum, quod rescissum est per Magistros nationis et disserte indictum, ut tales appellationes non admittantur. Vide ibidem. (L. D. I. pag. 99.)

De electione Rectoris faciendu ferialibus diebus.

Anno Domini 1403. in Rectoratu Waltheri Harrasser, 13. die mensis Octobris facta plena congregatione consilii Universitatis sub hac forma: R. M. sitis hodie hora 18. in congregatione Universitatis ad videndum, an expediat in antea electionem novi Rectoris, quae consuevit fieri transactis temporibus in festo S. Galli, nec non S. Georgii in vigilias Sanctorum praedictorum vel in alium diem anticipari, sub debito obedientiae et poena non contradicendi. Conclusum fuit consiliariter nullo contradicente, quod praenominata novi Rectoris electio per amplius non in festivitatibus Sanctorum praefatorum, sed proxima die feriata sit post festa supra dicta celebranda.

De tribus vocibus nationis Bohemorum.

Anno Dni. 1409. die 27. mensis Septembris in Rectoratu M. Zdenykonis de Labun facta plena congregatione Universitatis sub poena debiti obedientiae et non contradi-

cendi et prout diligitis bonum Universitatis, conclusum est, quod littera regia infra scripta in librum et statuta Universitatis de verbo ad verbum inseratur, quae conclusio publicata est coram convocatione et congregatione totius Universatis praedicta eodem anno die 13. mensis Octobris, in lectorio ordinariarum disputationum. Et placuit et acceptata est ab omnibus unanimiter nemine contradicente, cujus quidem litterae tenor sequitur per omnia, et est talis. (Hae Wenceslai IV. litterae typis publicatae exstant in monumentorum tomi secundi Parte I. pag. 41.)

Insuper conclusum est, quod Universitas in quatuor nationes, ut prius, maneat divisa, et quod natio Boëmorum pro Rectoris electione semper ex se tres praesentet, et aliae nationes unum tantum. Qui electores, si in eligendo non concordaverint, sed in duas partes aequales divisi fuerint; ex tunc Rector antiquus, ad cujus partis electionem declinaverit, illius partis electus accipietur in Rectorem. Talis autem novus Rector debebit in sua recommendatione Regi et regno promittere fidelitatem, sicut et quilibet studens circa suam intitulationem. Item conclusum est, quod omnia, in statutis Universitatis, vel cujuscunque facultatis, praedictae litterae contraria deleantur, ac juxta conformitatem praescriptae literae reformentur et teneantur.

(De auctoritate Rectoris.)

In Rectoratu Mag. Briccii de Buda anno Dni. 1415. die 28. mensis Junii in plena congregatione Universitatis facta sub hac forma: M. R. Sitis hodie hora 17. in congregatione Universitatis, in stuba facultatis ad audiendum petitionem Dni. Rectoris et proponendum quaedam ardua statum dictae Universitatis concernentia. Item ad audiendum petitionem M. Marci de Greczreginae, et ad tractandum et consulendum et finaliter in praemissis concludendum, sub poena non contra-

dicendi, et prout diligitis, bonum Universitatis, et poena quatuor grossorum irremissibiliter solvendorum. Detur omnibus. In praesentia Galli quondam Crucis de Wolina notarii publici et Bidelli jurati dictae Universitatis, et testibus, puta; Wenceslao de Ronow, studente Pragensis dioeceseos, Erasmo de Vgezd, studente Luthomislensis dioeceseos, Thoma de Werona, Martino de Sudicz Armigero Olomucensis dioeceseos, ad hoc specialiter vocatis et requisitis: Conclusum fuit per Universitatem, quod Dni. Rectores Universitatis studii Pragensis praeteriti, praesentes, et futuri, in omnibus agibilibus, censuris ecclesiasticis fulminatis et fulminandis, et in aliis omnibus et singulis factis, actis, dispositis, ordinatis et procuratis, ac in futurum agendis, faciendis, disponendis, ordinandis et procurandis, quae cum consiliariis ipsis per Universitatem deputatis vel deputandis juxta et secundum tenorem privilegiorum Universitatis fecerunt, disposuerunt, ordinaverunt, procuraverunt, ac in futurum facient, disponent, ordinabunt, et procurabunt, Universitas ipsa debet et tenetur sine dolo ipsos Dnos. Rectores, et eorum quemlibet ab omni homine, cujuscunque gradus, dignitatis, status, praeminentiae vel religionis exstiterit, ipsos vel aliquem ipsorum ratione praemissorum impediente seu impetente, vel ad causas seu lites quascunque protrahente, et conveniente, tam in regno, quam extra regnum expedire et disbrigare (sic) et ipsos et eorum quemlibet, tam in persona, quam in rebus facere et disponere quittos liberos, et securos; et penitus ab omni damno occasione praemissorum percepto reddere innoxios et indemnes, etc.

De eodem.

Sequitur instrumentum conclusionis assistentiae Rectoribus et Consiliariis, in Rectoratu M. Thomae de Lissa factum.

In Nomini Domini Amen. Anno nativitatis ejusdem 1415. Indictione octava, die 27. mensis Octobris hora Vesperorum

vel quasi, apostolica sede vacante, et sacrosancto Consilio Constantiensi praesidente, in collegio Caroli, in stuba facultatis, in mei notarii publici infra scripti testiumque praesentia subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, facta per venerabilem virum M. Thomam de Lissa, plebanum in Mlażow, collegiatum collegii Caroli memorati Rectorem almae Universitatis studii Pragensis convocationem duorum Magistrorum et Doctorum ejusdem Universitatis sub hac forma: M. R. Sitis hodie hora 20. in congregatione Universitatis, ad audiendum, proponi per Dnum. Rectorem quaedam ardua statum dictae Universitatis concernentia, et ad tractandum, et finaliter concludendum in praemissis, sub poena 4 grossorum, et poena non contradicendi. Detur omnibus. Qua convocatione ipsis Dominis Magistris, Doctoribus ibidem congregatis, sedentibus et audientibus per dictum Dnum. Thomam Rectorem, ut moris est, lecta, idem Dnus. Rector coram eisdem Magistris et Doctoribus dictae Universitatis sic ut praemissum est, congregatis proposuit dicens: Quia aliqui murmurant super et contra Consiliariorum dispositionem, dicentes, ipsos tantummodo pronuntiatos et nominatos, sed non electos, eo quidem non fiat inductio per vota singulorum Magistrorum. Unde inferunt posse fieri exceptionem contra hujusmodi Consiliarios, si quis per eos judicio gravari videretur. Placeat igitur Reverentiis vestris super hujusmodi nominatos pro Consiliariis vota vestra in ratificationem prioris electionis dicere, aut alios eligere, ut murmurationes praedictae succludantur. Item quia occasione quarundam sententiarum per Rectores praeteritos latarum ortae sunt plurimae appellationes, quarum virtute plures Rectores fuerunt citati, quibus secundum voces plurium Magistrorum Universitas assistere non deberet, ut dicebant, nec illi se dicebant assistere Rectoribus citatis, eo quod sine relatione ad Universitatem a dictis Rectoribus sententiae hujusmodi ferebantur. Quare ego Rector cum Consiliariis meis a vobis mihi datis petimus informari, quando et in qui-

bus causis sententia esset per nos ferenda, in quibusque causis facienda relatio ad Universitatem, et in quibus non, ne forte occasione judicatoriae executioni involuti ab Universitate deseramur; alias consiliarii judicia visitare non intendunt. Qua propositione sic per eundem Dnum Rectorem facta conclusum est ex votis singulorum tunc ibidem congregatorum Magistrorum et Doctorum, Praepositorumque et aliorum tunc absentium Magistrorum et Doctorum nominibus, nemine discrepante, sede dissentiente, ad manus mei notarii infra scripti legitime stipulantium, quod ipsa Universitas in futurum assistat et assistere debeat modis omnibus opportunis, videlicet consiliis, auxiliis et rebus ac sumtibus, communibus vel singularibus contribuendo eidem Dno Rectori et suis successoribus, dictae Universitatis Rectoribus ac Consiliariis eorundem praesentibus et futuris per ipsam Universitatem ad causas tractandas deputatis et in futurum deputandis; in quantum tamen ipsi Domini Rectores et Consiliarii judicia et tractatus necessarios juxta et secundum tenorem privilegiorum eidem Universitati a sede apostolica concessorum fecerint, disposuerint, judicaverint et procuraraverint; facient, disponent, judicabunt, et procurabunt in futurum, ex tunc ipsa Universitas dedebit et tenebitur sine dolo et fraude qualibet occasione procul mota, ipsos Dnos. Rectores et Consiliarios, praesentes et futuros, et eorum quemlibet ab omni homine, cujuscunque status, gradus, dignitatis, vel praeeminentiae seu religionis extiterit, ipsos et ipsorum quemlibet ratione praemissorum impediente seu impetente, vel ad causas et lites quascunque eosdem Dnos Rectores et Consiliarios, et quemlibet ipsorum, conjunctim vel divisim trahente et conveniente, tam in regno Boëmiae, quam extra regnum expedire et disbrigare, et ipsos et ipsorum quemlibet tam in persona, quam in rebus ad simplicem requisitionem ipsorum et cujuslibet ipsorum modis omnibus opportunis, videlicet consiliis, auxiliis, et rebus ac sumtibus communibus vel singularibus in contri-

buendo factis, ut praemissum est, vel faciendis quittos facere penitus, et indemnes. Et ibidem mox iidem Dni. Magistri et Doctores sic congregati nomine totius Universitatis pacificantes et approbantes, ac ratam et gratam habentes electionem Consiliariorum eidem Dno. Rectori per praedictam Universitatem pro hac vice ad causas audiendas et negotia tractanda assignatorum conclusionem assistentiae hujuscemodi in Rectoratu M. Briccii de Buda pro tunc Rectoris, et alias conclusiones consimiles factas, libro statutorum Universitatis insertas approbaverunt. De quibus omnibus et singulis supra scriptis idem Dnus. Rector suo et Consiliariorum ac successorum suorum nominibus petiit sibi per me notarium publicum infra scriptum fieri et confici unum vel plura publicum instrumentum seu publica instrumenta. Acta sunt haec anno, indictione, die, mense, hora et loco, ac tempore praesidentiae, quibus supra, praesentibus Cruce de Wolyna, notario publico, Johanne de Ronow, et Johanne de Tyn super Multavia studentibus dictae Universitatis, testibus circa praemissa fide dignis.

Et ego Jacobus Moless natus olim Ambrosii Pragensis, publicus imperiali auctoritate, ac universorum Dominorum Magistrorum, Doctorum et Scholarium almae Universitatis studii Pragensis juratus notarius, praemissis convocationi, congregationi, propositioni, conclusioni, ratificationi, approbationi omnibusque aliis et singulis supra scriptis, dum sic, ut praemittitur, per dictum Dnum. Rectorem, Magistros et Doctores fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, manu propria conscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

(Hic folium dimidium continens, quae statum Universitatis ab anno 1414. usque ad annum 1425. tangunt, desectum est.)

Statutum circa et ad consilia per Universitatem celebranda extranei non admittantur.

Anno Dni. 1425. die 11. mensis Octobris in Rectoratu M. Petri de Sepekow in plena congregatione Universitatis, quae tunc fuit convocata sub hac forma: M. R. Sitis in principio horae 18 in congregatione Universitatis in stuba facultatis ad audiendum proponi per Dm. Rectorem quaedam ardua statum Universitatis concernentia et praesertim libertates et utiles consuetudines circa modum consiliorum, quantum ad personas, tempus et locum, et ad tractandum super his, consulendum, et finaliter concludendum, sub poena praestiti juramenti. Detur omnibus etc.

Conclusum est ex vocum pluralitate, nullo contradicente, ut quotiens Universitas causas sive negotia in propriis factis tractaverit, sive ad quaecunque consilia quarumlibet proprietatum (?) evocata fuerit, libertatem et consuetudinem utilem ab antiquo observatam vult pro posse suo observare, sic videlicet, ut aliae personae ad consilia Universitatis non admittantur. Sed solae hae personae, quae sunt magistralibus titulis insignitae, in loco eis consueto, aut alias congruo, ut deliberate peragant, ad consilia Universitatis evocentur: hoc tamen adjecto: si in casu tanta necessitas ingrueret, ut iste ordo bono modo nullatenus possit observari ex tunc salva epikegia, quam sibi reservat, vult Universitas agere modo salubriori, quo poterit, pro bono pacis etc.

De duratione Rectoratus.

Item de anno Dni. 1426. currente in reelectione M. Procopii de Plzna pronuntiatum fuit per M. Joannem Borotin nullo contradicente: quod Rector electus Universitatis nostrae circa festum Scti. Georgii aut S. Galli duret ad unum annum in suo Rectoratu usque ad melioris augmenti et incrementi dispositionem nostrae Universitatis Domino cooperante, instaurandam.

De Krzizanow.

In Rectoratu M. Joannis de Praga.

Quia M. Wenceslaus de Krzizanow pluries proterviam et inobedientiam suam contra Rectorem ostendit, eandemque contra Directores continuare non cessavit, fuit enim per eos et librarium bene decies monitus, ut volumina, quae 15 receperat, ad librariam reponeret, quia rationem, quae multis annis non erat facta, a librario tunc temporis habere optabant, ad quorum intimationem Magistri omnes reponere libros conati sunt; ipse autem reponere non curavit, nec voluit, cum litera testatoria M. Procopii de Plzna se excusando, cujus tenor de verbo ad verbum habetur in inventario librorum Boëmicae nationis. In qua continetur, quod testamentarii de quibus ipse unus, in usu librorum praefati M. Procopii praerogativam haberent; quod ei non erat per Directores denegatum: sed mandatum, quod libros reponeret, quia opportunum ejus scilicet non reponere (supra scriptum: repositio) ex prima litera non habetur. Coram ergo Directoribus dum fuit praefatus M. Krzizanowsky constitutus, Rector Universitatis ei sic loquebatur: Promisisti obedientiam sub juramento et nunc quoque in te comprobatur. Quare auctoritate Directorum et mea mando tibi, ut reponas illa volumina ad nationem (supra scriptum: librariam). Si vero non vis, tunc in captivitate mea eris. Ipse autem non advertens verba Rectoris, M. Stanislao de Welwara, dixit: Vade, et dic Doctori Hilario, quia Rector me captivat, ut eat et dicat regi. Dixit ei Rector: Coactus per te oportuit me hoc facere; maneas ergo hic. At ipse malivole recedens coram Magistris ibidem assidentibus dixit: Scias, quod ad tuam captivitatem ire nolo, quia nec jus nec auctoritatem ad me aliquam habes, cum sim Doctor, Magister et Sacerdos alteri ecclesiae Pragensi ascriptus, quare nihil tui ad me spectat. Tunc Rector adstanti coram Magistris est protestatus: quia auctoritatem

meam, juriumque et privilegiorum abnegas, et ego eo facto te abnego, ut membrum Universitatis per amplius non sis, cum juramenta tua irrita facis. Post dum pluries ad comparendum coram consilio et Rectore est evocatus, stare nullatenus voluit; et tandem dum ad standum est quasi compulsus, Rector omnibus illis refricatis in faciem, praesentia Magistrorum, seniorum eum ab Universitate semovit, alienavit et exclusit, protervia sua ad hoc eum compellente. Ipse autem stare praedictae sententiae nolens appellare incepit, uti scriptum manu propria, quod sequitur, ostendit.

Manus M. Krzizanow haec est quae sequitur.

Dicto vestro Domine Rector nullatenus stare dignum esse arbitror, cum ipsum nullum sit de jure et de justitia, sed occasione levi et inaudita et excogitata attentatum; verum recurro et appello, ad quem recurrendum et appellandum est, et confido, Deo altissimo auxiliante, et justitia me comitante, quod poenitebit vos facti injustissimi. Ex collegio OO. SS. III. Cal. Julii. Detur Rectori.

Idem coram multitudine Magistrorum optavit, ut de matrica Universitatis deleretur, cujus vota sunt exaudita.

De Hilario.

Manus immediate sequens est Doctoris Hilarii.

Rev. Mag. Nicolae, mitto vobis arestatorias ex officio, quas si placet, coram Magistris publicate, ut ex hinc actionem intentemus, si non aliud statueritis, quo integritas et status collegii reformari possit, significate. Ita enim cum Dno Decano conclusimus et cum Dno. Praeposito, ut arestationem hujus faciam et illos contra vos infestos turbatos mutuo pro obedientia mea inducam. Valete, optime Magister, et res constanter agite nostras.

Item Hilarius cum Magistris apostatis false interpretati sunt privilegia Universitatis, Rectorem a jurisdictione, quam

habet super supposita, privare volentes, et capitulo conferre eandem conantes. Verum Doctor Hilarius hoc duxit cum Magistris ei adhaerentibus et capitulo Pragensi adscriptis glosando illud privilegium Bonifacii: Rector, qui pro tempore fuerit etc. una cum consilio et assensu quatuor consiliariorum Universitatis juxta consuetudinem ejusdem studii pro tempore electorum seu eligendorum omnes et singulas causas tam civiles et criminales, quam mundanas et profanas etc. convocatis partibus cognoscendi audiendi et sine debito terminandi etc. plenam et libram auctoritatem habebit etc.

Posuit Hilarius Doctor in scripto regiae majestati porrecto istam Distinctionem circa praedictum privilegium, quod quatuor modis potest agi de crimine scilicet per (supra scriptum in) modum denuntiationis, inquisitionis, exceptionis, et accusationis; et unum solum modum posuit secundum quem Rector Universitatis procedere in causis, potest et in aliis modis dixit et scripsit eum auctoritatem non habere. Plane patere potest, si iste Doctor pro bono Universitatis laborat, secundum quod promisit.

In Rectoratu M. Joannis de Praga

hi judicio consilioque Universitatis sunt concordati et conplanati.

1. Prima actio fuit Laurentii Bacc. in artibus et in medicinis cum Joanne Doctore etiam in medicinis, qui praefatum Joannem inculpavit, quod nomine suo acquisivisset Ssubbas equorum et clenodia argentea a regina Poloniae; qui negavit et dixit; quod propria arte et suo nomine acquisivisset. His longo tempore altercantibus Joannes a dna. Regina Poloniae literas attulit famam suam protegendo. Tandem istud inter eos est decretum, ad quod tenendum se benivole ambo submiserunt. In Dei nomine Amen.

Nos Joannes de Praga artium liberalium mag., almae Universitatis studii Pragensis Rector, supremus judex causa-

rum et M. Joannes de Yemnicz, M. Stanislaus de Welvara, M. Joannes Thabor, et M. Nicolaus similiter de Thabor arbitri inter Dominum Joannem Goblencz dictum Doctorem in medicinis parte ab una, et Dnum. Laurentium Bacc. artium, medicinae, parte ab altera, membra Universitatis nostrae, laudamus et arbitrantes pronuntiamus, nostra arbitraria sententia decernentes, amicitiam fore et esse perpetue observandam; ita quod criminibus, quibus Laurentius praefatum Joannem deturpavit, eisdem per amplius non maculet; et vice versa Dnus. Joannes praefato Laurentio ob hoc nunquam in malum referret; sed potius pacem et concordiam inter se habeant et teneant sempiternam; ita quod unus alteri puro ex corde dimittat, et omnem rancorem injuriamque totalem remittat, et unus honorem alterius, quocunque eos pervenire contigerit, protegat et pro posse suo fideliter defendat. Decrevimus in scriptis sub poenis nobis obligatis et servatis si repertum fuerit, eos secus fecisse.

Datum et actum sabbatho in festo S. Antonii Abbatis anno Dni. 1461. etc.

2. Item actio et controversia, quam M. Simon de Chrudim habuit cum Georgio Bacc., dicto Stryczek, et cum aliis in bursa Nazareth, est sopita, et ad bonum deducta finem, per amplius tamen se cum eadem et eisdem non invadendi nec in malum refricandi.

3. Item controversia quam Florianus Rector de Lacu habuit cum Wenceslao et Spiritu studentibus est completa et sopita.

4. Item actionem idem Florianus habuit cum Bacc. dicto Nazareth, est omnimode terminata.

5. Item actio, quam Michko Bacc. habuit cum Spiritu Bacc. de Leddecz de regimine scholae in montibus est complanata.

6. Item actio quam idem Michko de Bydzovia habuit cum Joanne Bacc. de Piesca de supplantatione scholarum

montium Cuthnorum ad ecclesiam corporis Christi, est laudabiliter terminata.

7. Item actio quam Martinus Bacc. habuit cum Andrea Bacc. de supplantatione regiminis scholarum in Zacz, est composita.

8. Item actio Mag. Joannis Strziebro, quam habuit cum Hauska Bacc. et Jaroslao Bacc., est terminata.

9. Item actio ejusdem cum Balthazar Bacc. est quodammodo clausa.

10. Item actio Mag. ejusdem cum Nicolao, studente dicto Hassek, qui displicibilia et laesiva contra eundem Mag. scripsit, est amicabiliter una cum aliis studentibus tunc temporis in collegio Reczkonis degentibus complanata.

11. Item actio Mag. Nicolai de Thabor, quam habuit cum studentibus nationis, et praesertim cum Bacc. Joanne de Glattovia, est ad bonum reducta.

12. Item actio quam Ssilhanek Bacc. senior habuit cum Mag. Vincentio Polono, est quodammodo stabilita.

13. Item actio, quam Vitus, Rector a S. Michaële habuit contra suum discipulum Joannem studentem, est totaliter complanata.

14. Item actio, qua Tuniedchodsky Bacc. habuit cum Joanne Micus Bacc. pro basilicis, est complanata.

15. Item actio, quam Thomassko campanator de Bethleem impetebat Simonem licentiatum (jam uxoratum, alio calamo additum) de aliquibus libellis reddendis, nondum est terminata. Alio calamo adscriptum: dein Thomas postea est mortuus.

16. Item actio Mag. Nicolai de Horzepnik, quam exercuit cum Magistris collegiatis OO. SS. non est completa, quia in principio actionis appellavit ad alium judicem a Rectore, ut manus ejus ostendit in primo folio hujus libri.

17. Item actio Sigismundi medici Bacc. cum adhaerentibus sibi Canonicis S. Apolinaris, quam habere conatus est

cum Directoribus nationis pro graduali notato finem recepit videlicet in Registro Directorum nationis.

18. Item actio quam M. venerabilis Joannes de Rokyczano habuit cum M. Joanne Kravin de Thabor, est mandato regio complanata, dum M. Thabor publice reclamavit videlicet in fine libri hujus.

19. Item actio quam M. Martinus de Lancicia cum M. Vincentio Polono habuit nondum plene est deducta. Mandatum tamen erat regium per Dnum. Gabrielem prolatum quod M. Vincentius puniatur; sed quia recesserat Poloniam, ideo interruptio hujus est facta.

20. Item actio, quam M. Martinus de Lancicia habuit cum Sigismundo Bacc. medico, quantum concernebat proprium factum M. Martini de florenis et aliis rebus per Sigismundum Bacc. restituendis, est totaliter complanata. Quantum autem tangit privilegia, domus regis Wenceslai et testamentum M. Augustini quamvis pro his satisfaciendis Sigismundus Bacc. erat citatus adhuc tamen finis horum non est impositus.

21. Item actio quam Jeremias Bacc. de montibus habuit cum quodam Bartholomaeo Barbato non spectabat ad Rectorem, quia idem Bartholomaeus non erat intitulatus, verum in platea est per satrapas captus et post acriter insaclaniatus, ubi per longum temporis spatium sedit etc. (additum: praefatus Bartolomaeus).

22. Item actio quam Nicolaus Humpolecz civis hujus civitatis et Dnus. ex sex Dnis. praetorianis habuit cum M. Andrea de Budieyowicz pro eo, quod M. Andreas scripsit Dnis antiquae civitatis, quod Nicolaus Humpolecz non rite et juste faceret circa ea, quae ad fideles manus sunt sibi commissa. Emendavit ea M. Andreas et satisfecit praedicto Domino Humpolecz.

23. Item actio quam Joannes studens filius Joannis publici contra praedictum Mag. Andream attentavit de tribus

sex. gr. eum ammonendo. Reposuit M. Andreas illam summam coram Dominis hujus civitatis.

24. Item actio, quam mag. Ambrosius de Nachod, habuit cum domino Procopio, bacc. et prothonotario novae civitatis pro quibusdam verbis irativis et famam laedentibus est caritative complanata.

De quibusdam studentibus, baccalariis et magistris captivatis per Rectorem.

25. Item anno Domini 1461. dominica in Quadragesima qua canitur laetare, capti et detentisunt isti studentes: Augustinus de Chrudim, Petrus de Ledecz, et Georgius de Sussicz ex mandato regiae majestatis; nam aliqui inceperant attemptare scriptis verbis et collationibus abdite et secreto cum aliis conveniendo, quae scandalum et malam opinionem circa materiam fidei et praesertim sacramentorum ecclesiae pluribus afferebant; multis itaque septimanis poenam pro his passi captivati. Rectoris erant subjecti sua sub tutela et clausura manentes. Tandem pluribus septimanis, quia una parte anni elapsi moniti sunt et inducti, ut veram fidem de praedictis profiterentur, unde magna multitudine hominum ad beatam Virginem ante laetam curiam conveniente; quodam die dominico praesentibus omnibus tum aliis vulgaribus in hujuscemodi opinionibus notatis publice in facie ecclesiae veram fidem de sacramentis ecclesiae sunt professi, et tandem Universitati reconciliati. Nam primus ex eis Augustinus nomine ad gradum baccalariatus est promotus et susceptus.

In facto tamen isto Rector Universitatis multum laboravit cum magistris, ut emendarent in facie Universitatis; Suae reg. majestati primum videbatur; verum per hoc Rector Universitatis digne est excusandus etc.

26. Item in Rectoratu ejusdem anno ubi supra, feria quinta ante Reliquiarum, mag. Nicolaus de Horzepnik ex mandatis regiae majestatis per Rectorem Universitatis est detentus et post carceribus mancipatus, quia suspectus fuit in materia fidei ex libellis sacerdotis baccalarii, Nicolai dicti Biskupecz, qui circa eum erant repositi et tractatuli venenosi et infectivi, quos idem mag. negavit se habere, sed quod fuissent combusti, et post sunt inventi, dum Rector Universitatis cum aliis ad hoc vocatis cameram ejus ex mandato regio est ingressus, et alia plura in confusionem Regis et regni sonantia; propter quae regiam per majestatem a collegiatura omnium Sanctorum est ammotus, et post ab Universitate et civitate hac seclusus, ut patet alias signatum.

De sacerdote Morawkone.

27. Item post hoc in propinquo sacerdos Joannes bacc. dictus Morawek est detectus similibus conjecturis, quia commissarius erat praedicti Biskupzonis in cujus cistula epistolae et tractatuli plurimi venenosi sunt reperti, qui multis septimanis in captivitate sedens Rectoris tandem gravi infirmitate et phrenesi tactus ad vota notabilium personarum regiae majestati pro eo porrectarum est missus, et fidejussoria cautione munitus, quae eum adhuc nondum constituit; quare ad claustrum refugit etc.

De Petro studente.

28. Item Petrus de Hradecz Sstiepankonis de Nachod similibus erat irretitus, sicut studentes serius nominati. Tandem liber in posterum esse volens, benivole ad captivitatem Rectoris se submisit, ubi correctione capta, bonoque proposito a talibus et similibus praecavere promittens, missus est de

captivitate, et emendavit emendanda cum professione fidei vera, de quibus erat suspectus.

29. Item in Rectoratu ejusdem erat intimatio mag. Stanislao de Velvar, et mag. Georgio de Mezrziecz porrecta ista: Mag. rev. cras hora 18 ad vota directoris nationis et mandatum meum placeat venire ad stubam facultatis artium, pro eo, ut census per Dom. Joannem Korunzsky (?) pro natione comparatus intabuletur; prout in fine Rectoratus vestri optastis et manu propria signastis, quod in brevi intabulari debuit. Quam intimationem conspicientes ad praefata parere noluerunt.

30. Tandem secunda intimatio eis directa fuit ista: Mag. rev. auctoritate Rectoratus et virtute directoris eis ab Universitate concessa mando, et termino peremtorio statuo, ut pareatis una cum Mag. Georgio monacho (?) feria secunda hora 18. in stuba facultatis coram directoribus ad peragendum ea, quae concernunt bonum commune, et praesertim nationis, pro eo, ut supra. Alias si secus feceritis concipere ipso facto manibus palpare poterimus (?) quam non promotores boni communis et nationis Boëmicae estis, sed proprietarii, quod sacerdotibus non competit, et maxime claustralibus, id quidem ad fideles manus est vobis commissum.

Nota conclusionis pro eis.

Ad neutrum paruerunt, mandato suorum severiorum (?) praelatorum se excusando, spretis directoribus et Rectoris jussionibus.

Quare secundum quod alii protervi et contumaces poenae maximae Universitatis deberent subjacere, et non solum vocibus privari in factis Universitatis, uti alias in matrica Rectoris istud est signatum; sed omnino ab Universitate excludi, ut alii similia non attemptent etc.

(In margine adjectum: privati voce.)

Istud est Rectori injunctum per Magistros,
ut scribatur propter futurum.

Item anno Domini 1468 in Rectoratu Mag. Joannis de Praga causa quaedam gravis tendens in infamiam non modicam personarum cujusdam Pauli filii Wenceslai de montibus Cuthnis et Mag. Wenceslai de Chrudim per Rectorem Universitatis est sopitã et ad bonum reducta; sic quod amplius una pars alteri non debeat eam refricare, nec in malum convertere etc.

Cujus concordiae duo Magistri arbitratores fuere, scilicet: Mag. Wenzeslaus Coranda et Mag. Jacobus de Paczow. Acta sunt haec post festum S. Martini anno, quo supra. Item inter Mag. Wenzeslaum de Chrudim et Thomam bacc. de Cladrub facta est concordia, in quadam causa tangente perditionem pecuniarum modo supra dicto et per Magistros eosdem et alios coasumptos, et per Rectorem Mag. Prazàk amicabiliter terminata etc.

In Rectoratu Mag. Gregorii Pragensis.

Anno salutis 1477. facta est complanatio controversiae inter Blasium de Trzebicz, tunc rectorem scolae ad S. Crucem parte ab una, et parochianos ejusdem ecclesiae parte ab altera, qui dictum Blasium post obitum bonae memoriae mag. Pauli praememoratae ecclesiae, plebani, conjectura satis debili de aliquarum rerum sublatione culpabant, quam ob causam et praetoriali ipsum carcere detinebant. Quod dum contra Universitatis Pragensis ageretur privilegia, Rector praefatus ex scabinorum manibus in suam ipsum accepit potestatem. Tandem coram se et Magistrorum nonnullis certis constitutis parochialibus inquisivit ab illis, quid noxarum inscribant Blasio memorato: qui responderunt, quod, quamquam ex conjecturis aliquibus ipsum culpare possumus; tamen in eum

nihil dicimus mali. Porthac vice altera plures ex parochianis venientes, cum totius etiam consensu parochiae, eadem coram supra tacto Rectore, assidentibus illi mag. Duchkone, tunc decano facultatis, mag. Wenceslao de Plzna et mag. Wenceslao de Trzepsko confessi dixerunt, quod dictum Blasium de nihilo culpent, sed boni illius esse et fore volunt amici; quibus mox dictum est, quod haec in libro signabuntur Rectoris, et si de cetero ipsum aliquibus dehonestare velint super his, pro quibus facta est dicta complanatio sermonibus, scriptum hoc erit Blasio contra illos munimentum.

In Rectoratu Mag. Joannis Pragensis.

Anno Domini 1488. orta est baccalariorum et studentum collegii Nazareth adversus directorem eorum et praedicatorem capellae Bethlehem tunc temporis rev. mag. Paullum de Zacz grandis difficultas, et tandem venta ad magistrum civium, ceterosque consules civitatis antiquae Pragensis; hi domini ad honorem Universitatis Pragensis prospicientes, atque animadvertentes, causam illam debere ad Rectorem Universitatis suique consilium jure pertinere; moti etiam precibus, tres dominos ex consilio domino Rectori illam rem ad paciscendam pariter et decernendam deputaverunt. Auditis itaque utrinque probationibus et defensis, nunc mag. Pauli privilegiis et juribus, ipsum concernentibus se tuentes et defensantes, nunc baccalariorum, studentumque statutis domus habitis et tabulis regni sonantibus non directori, sed ipsis defendentium se ipsos, hoc adjecto, quod directori eorum nec dispensare de censibus pertineret, nec exigere ab eisdem rationem sua praesentia. Dum ergo cuncta sic proponebantur comite diligentia, justitiaque pensata, praetacti Rector Dominique consulares consiliumque Rectoris ad sententiam inviolabiliter pro futuris temporibus tenendam properaverunt et concluserunt hoc modo:

Quod ad Directorem et praedicatorem capellae Bethlehem, regimen Collegii praefati pertinet habere nosse etiam de censuum dispensatione atque rationem de distributis per se vel per alium, quem collocaverit audire; verum facta ratione quidquid, ut decuerit, superfuerit, hoc directori, nec tollere, nec pro suo usu convertere licebit, quoque modo. Et sociis (?) domus ejusdem similiter, sed in Collegio, dum rationabilis urgeret opportunitas, pro bono collegii sub certa custodia relinqui, et tandem ad necessitatem converti, sciente tamen directore et ipsius voluntate concurrente.

Item praefati domus Nazareth incolae, antequam, ut praefertur, propter eorum contra directorem mag. Paulum instantiam contumaciamque lata diffinitio, quoniam scriptum quoddam invectivum honori ac famae singulorum pene Universitatis Magistrorum derogatorium, ea tempestate Magistro consulum, pro tunc Domino Martino ab Aurea rota praesentaverunt; nulla tamen prorsus ratione aut veritate fulcitum, verum tandem suis cognitis fictionibus quatuor illorum numero baccalariorum videlicet: Joannis de Nachod bacc. Gregorii de Slowicz, Simon et Paulus studentes coram Domino Rectore, Magistris compluribus, atque Georgio ante hoc Marssalkone, Joanne dicto Jost de Appoteca S. Michaelis; Dominis ex consilio nec non Jarossio cive ab Ethiopibus ibidem assidentibus patulo retractaverunt actionem suam contra Magistros confectam; tum in scripto, tum in voce male et false peregisse illico supplicantes veniam sibi pro hujusmodi excessibus praebendam, se quemadmodum ante diligendos, quodque Magistris deinceps et obedire volunt et inservire. Dominus Rector cum Magistris audita tali humili propositione, ne modo ad eorum tantum submissionem, quin etiam ad Dominorum praesentium interpellationem illis totaliter ignoverunt, indulserunt, amare etiam et promovere, si Universitatis in statutis fuerint conservati, sunt professi, sicque res, ut decretum est, libro Universitatis est inserta, tam eorum, quam aliorum ad cautelam.

Acta sunt vero praemissa anno, quo supra feria quarta post festa paschalia.

In Rectoratu Magistri Pauli de Zaacz.

Anno Domini 1493. feria quinta ante Penthecostes facta est concordia controversiae et litis inter Gallum de Gurim praesidentem domus Reginae parte ex una et Gregorium de Strziebro parte ab altera, baccalarios Universitatis nostrae, per amicos sibi arbitros, per Rectoris et consilii mandatum a praedictis baccalariis deputatos; ubi Gregorius Gallum in mutua contentione multis criminabatur, appellando eum proditorem, malae matris filium, non bene conservatum sed ubicunque manebat, eundem de mansionibus suis propulsum; pariter etiam et in fide devium. Ab opposito Gallus in eundem Gregorium vitia certa in ejus dehonestationem urgentia profudit. Audita itaque et lite contestata, ad approbationem testium itum est. In quibus postquam defectus compertus est; in arbitros res et contentio eorum data est, per quos dicti baccalarii concordati sunt et in amicitiam veram inducti. Isto modo: quod Gregorius primum fassus libere, quidquid contra Gallum bacc. dixi, ex passione et animi amaritudine dixi; nihil tamen mali assero de eo, nec illum pro tali habeo, qualem ipsum appellabam. E converso Gallus dixit: Nihil mali contra Gregorium aliquando dixi, sed semper eum pro bono socio meo tenui, sicut et nunc eum pro eodem teneo sine omni derogatione honoris ejus. Acta sunt haec anno et die, quo supra, in praesentia Rectoris praenominati, et Mag. Wenceslai Coranda et Mag. Jacobi de Paczow, consiliariorum eidem Rectori praenominato per Universitatem deputatorum, et Mag. Jacobi de Strziebro pro tunc artium facultatis decano, et coram aliis scolaribus parte ab utraque dictorum, baccalariorum secum pro audientia (?) causae eorum adductis.

Sub principatu Magistri Jacobi de Strziebro.

Anno 1494. feria quarta ante Nicolai (3. m. Decembris) Magistris de Consistorio et plebanis in bursalium stuba convenientibus statutum est, ut scolares ad festum S. Nicolai in colendis et euntes ad ecclesias habitum honestum induant et gerant, omnem auri et argenti et cristarum pennatarum negligant, neque curribus, aut equis utantur, sed consuetum et, qui eos decet, modum observent. Unde vocatis omnium scholarum Rectoribus res proposita est per Universitatis Rectorem, quam omnes Rectores honestam probantes alacribus animis sunt complexi, et talem modum ambulandi suis scolaribus imponere polliciti sunt. Prima tamen vespera S. Nicolai veniente plures illorum offenderunt, nam in equis, et curribus equitantes, ornatum per Magistros et sacerdotes vetitum induerunt; cujus causa Magistris omnibus placuit, ut sine castigatione et poena commissum non transeat. Auditi itaque sunt, et secus fecisse, quam eis impositum erat, confessi; quare, ut praetorium accederent, per Reclorem Universitatis cum Magistrorum uno eodem consensu lata est sententia; quamvis rebellabant et multa adversus Magistrorum sententiam loquebantur, in locum destinatum carceris ire nolentes; judicis tamen manu compulsi, ad certum tempus carcere praetorii tenebantur. Precantibus autem Dominis antiquae civitatis, et nonnullis civibus pro eis sollicite optantibus, facta et suscepta ab eis humiliatione cum admissi recognitione, concessa et eis venia.

Georgius bacc. de Praga tunc ad S. Aegydium recturam gerens in omnium persona ad Rectorem et Magistros loquebatur: Spectatissime Domine Rector et Magistri reverendi! Quia offendimus verbo et facto sive modo, quo nunc non possumus cognoscere, concedentes nobis veniam optamus posthac dignemini ad nos animum et mentem benignam habere — quibus ita se humiliantibus omnia donamus. Acta sunt haec Magistro Wenzeslao Coranda, Magistro Georgio de

Zaacz, Magistro Joanne Opoczna et Magistro Paullo de Zaacz praesentibus in stuba bursalium.

Eodem anno feria sexta post Jacobi (die 26. m. Julii) mag. Simon et mag. Stanislaus collegiati OO. SS. collegii adversus se habentes gravia et difficilia, per Dominum Joannem Album a Ciconiis et Vitum Porybny, Magistro Paullo de Zaacz et sacerdote Joanne ad S. Aegidium plebano cooperantibus confoederati sunt; mag. enim Stanislaus fassus est, quoniam Magistrum Simonem habet pro honesto Magistro et sacerdote integre conservato, nihil mali de eo sciens, mag. Simon eadem ad Magistrorum Stanislaum loquutus est. Acta sunt haec in stuba facultatis coram consistorio.

Contentio non mediocris erat inter Magistrum Gallum de Gurim, et Gallum studentem de Gurim; nam Gallus multa olim et ante tempora loquebatur adversus Magistrum Gallum; quare pro determinatione ad gradum baccalariatus tendente per Magistrum Gallum impeditus est, cui facere satis coactus est; itaque Mag. Jacobo Strziebrense Universitatis Rectore, et Mag. Wenzeslao Corando praesentibus, hac oratione veniam optabat: Reverende Magister! fateor me adversus vos loquutum in Collegio, dmnae. Srmae Reginae; sed id feci vestris in me sermonibus commotus, sed nunquam illa ex animo loquebar, et quo pro tali vos habeam, et quaecunque alias de vobis sum locutus, sicut objicitis, dico, me male locutum fuisse; habeo enim vos et habere volo pro Magistro bono et honesto, et Magistro reverendo: et ideo rogo velitis jam omnia in melius vertendo transire, et ad me bonum animum habere, et ego in omnibus volo vobis, ut placeam studere potius, quam ad displicentiam quippiam, aut ad dedecus facere vel loqui — pro satisfactione susceptum est. Actum est in Magistri Corandae camera praesentibus Magistris, quorum paulo ante facta est mentio.

Magistro Gallo de Gurım literas ab Universitate cupiente habere, volebat enim Italiam petere, cum scitu et voluntate consiliariorum tradidimus sub sigillo Rectoratus officii.

Magistri Jacobi Strziebrensis, qui reelectus est, sub Rectoratu anno Domini 1495.

Surrexit gravis dissensio inter plebanum Zderazensis ecclesiae et inter Rectorem scholae parochiae ejusdem; sacerdos enim Matthias plebanus volebat eum excludere, per amicos tamen res est composita et sunt reconciliati. Eodem tamen anno tempore Quadragesimae innovatum est bellum, et ortum est certamen longe molestius priore. Plebanus veniens ad scholam excluso Rectore baccalario Wenzeslao de Sstiepanow induxit alium novum. Quia tamen ante hoc baccalarius ad Rectorem Universitatis confugerat, optans de se provideri, et cupiens audire causam, cur res talis sibi acciderit, plebanus coram Rectore stare et causam assignare renuens, volebat Rectorem novum, quem jam induxerat, habere, qui jussus exire de schola recessit; invenit, alium et iterum induxit; et ille per Universitatis Rectorem ejectus est, et stetit schola sine Rectore a Salus populi per aliquot septimanas. Post haec variis tractatibus et diversissimis inter parochiam cum plebano una ex parte, et ex parte altera Rectorem Universitatis, ad extremum optantibus Magistris et parochianis, et sacerdote Matthia se summittente, quocunque modo Rectorem Universitatis offendit, tota res in melius versa est et transiit. Sacerdos enim Matthias fassus est, velle Rectorem Universitatis et futuros observare et venerari, sicut circa intitulationem promisit.

Et post certum tempus magna coram frequentia scholarium et Magistrorum de consistorio in praesentia cum Rectore suo Wenceslao bacc. cepit finalem concordiam ac bo-

nam confoederationem; hoc potissime tamen dictum est, quum conatus plebani et ista exclusio non debet baccalario fieri neque objici in dedecus aut in infamiam, nulla enim talis causa extitit. Acta sunt haec in stuba facultatis coram personis supra memoratis. Magistro Martino de Tyssnow et Magistro Matthaeo de Knieziwes litterae sub sigillo officii Rectoratus datae sunt cum scitu et consensu consiliariorum.

In Rectoratu Magistri Pauli de Zaacz.

Anno Domini 1497. insurrexit quaedam dissensio inter certos Magistros de actu regentia Magistrorum, de qua in statutis Decani plurima habentur; ex qua quidem dissensione plurima alia nociva pullulaverunt, et usque ad contentiones graviores deducta sunt; quae etsi plurima sint attentata media, nullis tamen componi poterant. Itaque pro omnibus his ad pacem reducendis facta est convocatio Universitatis per Rectorem feria 3. ante exaltationem S. Crucis sub hac forma: Rev. mag. placeat hodie hora 17. venire ad stubam facultatis ad consulendum quibusdam necessitatibus Universitatis nostrae, et praecipue ad componendas dissensiones inter certos Magistros ortas, pro quibus etsi facta sint personalia reipublicae tamen nostrae Universitatis plurimum obnoxia esse videntur; sub poena praestiti promissi, et prouti diligitis bonum Universitatis. Detur omnibus. Ex una itaque Magistrorum sententia electae sunt quatuor personae, in quas totaliter res totius dissensionis, veluti in veros arbitros, est compromissa; scilicet: mag. Georgius de Zaacz, plebanus ad B. Virginem ante laetam curiam; mag. Joannes de Opoczna, plebanus ad S. Petrum in Porziecz: mag. Martinus de Wlaschim, praedicator in Bethlehem; et mag. Jacobus de Strziebro tunc praepositus collegii Caroli: qui acceperant plenam potestatem a partibus dissentientibus, omnibus complanatis, in quibus par-

tes dissentiebant; in bonam pacem singula reduxerunt (et decetero consuetudine jam aliquandiu . . . *inferius annexum*).

Sed quia in eadem convocatione inciderat sermo per nonnullos Magistros: si hoc quod pluralitate vocum in congregationibus Magistrorum concluditur, ratum fieri debeat; super quo incidente tractato injunctum est per Rectorem, quod die crastina iterum Magistri eadem hora conveniant, sine intimatione; convenientibus itaque Magistris conclusum est vocum pluritate, quod in congregationibus Magistrorum quidquid debito ordine per vocum pluralitatem concluditur, ratum a singulis et inviolabile teneatur.



De erectione studii generalis in civitate Pragensi ad vota Caroli etc.

(Sequitur bulla Clementis VI. in codice diplomatico Mon. hist. Univ. Prag. Tom. II. pars I. pag. 219.)

Instrumentum de unione fratrum praedicatorum cum studio Pragensi.

In Nomine Domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem anno 1383. Indictione VI. die 8. mensis Decembris hora quasi prima Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani divina providentia papae VI. anno VI. in monasterio sanctae Annae sito in Vgezd Pragensi, monte sub Petrino, in camera, quae est sita in ascensu gradus domus habitationis capellanorum dicti monasterii, in mei, notarii publici infra scripti, testiumque praesentium sic subscriptorum constituti personaliter venerabiles et religiosi viri: Frater Raymundus de Capua Magister generalis ordinis fratrum praedicatorum antedicti suo et totius ordinis praedicti nomine unacum pluribus aliis, videlicet Magistris et fratribus ordinis antidicti ex una, et Joannis Wenceslai de Praga, Rectoris Universitatis Magistrorum et studentium studii Pragensis ad infra scripta convocati et congregati, parte

ex altera; ubi memoratus frater et mag. Raymundus facto et indicto ad hoc silentio solemnem exhortationem ad totam congregationem praedictam ac omnes alios et singulos ibidem praesentes faciens, conclusive suo et totius ordinis sui nomine, ut est praemissum, de quo etiam idem frater Raymundus tanquam generalis Magister ordinis praescripti dicebat, se speciale habuisse et habere mandatum et commissionem a generali capitulo per difinitores ejusdem ordinis, et vigore praemissorum fecit, ordinavit, determinavit, et posuit studium generale et praecipue ac specialiter quoad facultatem theologicam in monasterio sive domo s. Clementis in Praga totius ordinis sui supradicti in hunc modum: Quod fratres ejusdem ordinis, undecunque ad dictum studii locum venerint, possint et debeant scholastico studio insistere, et lecturas Bibliae et sententiarum ad licentiam Magisterii in sacra theologia, ceterosque omnes gradus secundum et juxta modum, statuta et consuetudines studii Parisiensis promoveri, assumi, recipi et admitti; et hunc modum totum ordinem et fratres ejusdem ubilibet constitutos studio Pragensi memorato incorporavit ac univit; hoc tamen expresse adjecto; Quodsi generali capitulo sui ordinis supradicto deinde et successu temporis aliud visum fuerit circa praemissa vel quomodo libet praemissorum, ex tunc salvum sit et liberum eidem capitulo super praemissis aliter ordinare, determinare et providere.

Quibus omnibus sic peractis venerabilis vir, mag. Henricus de Oyta, mag. in sacra pagina, facto et indicto similiter silentio mox ibidem in continenti quadam brevi exhortatione praemissa, correspondenti exhortationi et monitioni mag. Raymundi antedicti Rectoris, suo, et totius Universitatis studii memorati ibidem praesentium nomine dictam ordinationem, determinationem, positionem, unionem et incorporationem studii hujusmodi in omnibus et singulis suis clausulis et punctis ac conditionibus, ut superius est expres-

sum, gratanter cum omni reverentia, qua decet, et gratiarum actione acceptavit, nec non ratificavit, gratificavit et admisit. De quibus omnibus et singulis praefatae partis hinc inde petierunt, ipsis nominibus, quibus supra per me notarium publicum fieri et confici unum vel plura publicum instrumentum seu publica instrumenta. Acta sunt indictione, die, mense hora et loco ac tempore, quibus supra, testibus plurimis parte ab utraque circa praemissa fide dignis.

(Sequitur Wladislai Bohemiae regis decretum die 22. m. Aprilis a. 1472 Pragae datum, Universitatis Prag. jura, gratias, donationes etc. ab antecessoribus concessas confirmans, quod in mon. hist. Univ. Prag. tom. II. parte II. pag. 122. exstat. Hoc excipit aliud ejusdem Wladislai decretum illud Wenceslai regis de tribus vocibus Bohemorum die 16. m. Julii a. 1472 confirmans, quod ibidem pag. 128. legitur)

Subjunctum est: Sub Rectoratu mag. Jacobi de Paczow anno domini 1472.

(Porro sequitur bulla Nicolai V. Rom. Pont. illam Clementis VI. litteris die 12. m. Aprilis a. 1447. datis restaurans, quae ibidem pag. 115. conspicua est.)

Huic subjuncta est bulla de erectione studii Pragensis per Clementem Papam, quae superius allegatur, patet ante tria folia C. VIII. in forma respiciatur ibi perpulcre. Et D. 3. et 4.

Recentiori calamo: Hoc diploma Innocentii in publicam lucem emisit Christofs. Waechtter in tractat. de Cancellariis veterum p. 26. seq.

De auctoritate Rectoris, quam habet, ut Cancellarius Universitatis in qualibet facultate.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. In apostolicae dignitatis specula licet immeriti disponente Domino constituti, personis litterarum studiis in-

tendentibus, per que divini nominis ac fidei catholicae cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, ac opportune commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum etc. *uti tom. II. parte I. pag.* 413. *ad verbum exstat.*

De jurisdictione Rectoris super omnia supposita Universitatis.

Et de exceptione suppositorum a jurisdictione judicum aliorum.

Haec Bonifacii IX. papae bulla typis excusa habetur tom. II. parte I. pag. 370.

Copia literae regis Wenceslai super tribus vocibus nationi Bohemicae gratiose condonatis.

Exstat hoc regis Wenceslai IV. rescriptum tom II. part. II. pag. 41.

Copia literae majestatis Sigismundi Imperatoris confirmantis tam auream bullam Caroli, quam libertates per regem Wenceslaum concessas.

Exstat haec imperatoris Sigismundi confirmatio tomi II. parte II. pag. 62. seqq.

Copia libertatis suppositorum Universitatis regis Wenceslai ab omnibus judicibus saecularibus et gravaminibus quibuscunque.

Exstat hoc regis Wenceslai privilegium tom. II. part. I. pag. 325. et seqq.

Copia aureae bullae Caroli Imperatoris super fundatione Universitatis Pragensis.

Exstat haec Caroli IV. bulla aurea tom. II. part. I. pag. 223. et seqq.

Copia Clementis papae super fundatione Universitatis.

In Nomine Domini Amen. Nos Joannes Dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae Archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, praesenti transsumpto publico notificamus universis: Quod constitutus coram nobis in judicio honorabilis vir. mag. Fridmannus, Canonicus capellae regiae OO. SS. in castro Pragensi, ac Rector Universitatis studii Pragensis suo ceterorumque Magistrorum ac Universitatis studii Pragensis praedicti nomine, quasdam litteras in pergameno scriptas, felicis recordationis Domini Clementis Papae Sexti, vera bulla plumbea in filis sericeis, glauci et brunatici coloris pendenti bullatas, sanas et integras, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes tenoris infra scripti exhibuit et ostendit. Quas quidem literas praefatus mag. Fridmannus, suo ac dicti studii generalis nomine transscribi petiit, et in publicam formam redigi nostra auctoritate ordinaria et decreto, ne ipsarum literarum copia casu fortuito ammittatur, aut quovis modo alio haberi non possit.

Nos itaque visis et diligenter inspectis literis infra scriptis, et ipsis veris et absque suspicione aliqua reputatis, et ejusdem Magistri Fridmanni petitioni utpote rationabili annuentes, praefatas litteras transsumi et publicari per Joannem, nostrum notarium publicum, infra scriptum, decrevimus et mandavimus, volentes et tenore praesentium decernentes, quod transsumpto hujusmodi deinceps in omnibus, et per omnia plena fides adhibeatur, tam in judicio, quam extra, sicut originalibus litteris infra scriptis; ipsumque transsumptum fidem faciat in agendis, quibus omnibus et singulis nostram auctoritatem ordinariam interponimus et decretum. Tenor vero dictarum litterarum sequitur per omnia in haec verba:

Clemens episcopus, servus servorum Dei etc. *ut tom. II. parte I. pag. 219. seqq. expressum habetur.*

In quorum omnium testimonium praesens transsumptum per nostrum notarium publicum infra scriptum scribi et publicari mandavimus, nostrique sigilli appensione jussimus communiri. Datum et actum Pragae in curia nostra Archiepiscopali, anno Domini 1376. Indictione 14. die 28. m. Januarii, hora Completorii vel quasi, pontificatus Sanctissimi in Christo patris, et Domini Domini Gregorii divina providentia papae XI. anno 6. praesentibus: Reverendo in Christo patre Domino Domino Joanne episcopo ecclesiae Miessnensis, ac venerabilibus viris Dominis: Nicolao, praeposito monasterii Canonicorum regularium in Rudnitz, Jenczone Sanctae crucis Wratislaviensis, et Sasema Tynensis nostrae Dioeceseos ecclesiarum praepositis, Joanne Decano ecclesiae Sancti Apollinaris, et Dietlewo Storner, Canonico ecclesiae nostrae Pragensis, ac aliis pluribus testibus fide dignis circa praemissa.

Et ego Wenceslaus quondam Petri de Bohuslawicz, clericus Olomucensis dioeceseos publicus auctoritate imperiali notarius, prout ex originali littera Domini archiepiscopi Pragensis supra inueni, vidi et legi non vitiatam, sed vero sigillo ipsius Domini archiepiscopi sigillatam, de verbo ad verbum addens vel minuens, quod sensum mutet aut variet intellectum fideliter per alium aliis occupatus negotiis transscribi procuravi, et facta diligenti auscultatione de praedicto transscripto cum originali littera una cum honorabili viro mag. Herrmanno de Winterwich, quia ea concordare inveni, et ut ipsi transscripto tanquam originali litterae plena fides adhibeatur, in hanc publicam formam redegi, signoque meo et nomine solitis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium praemissorum.

Copia privilegii studii Bononiensis.

Theodosius Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus in imperium constitutus a Theodosio patruo suo, qui per potentiam imperium acquisivit Gottorum Aichadiae, quam Lybiae et Assyriae, ac Parthiae et Indiarum, et Tharsiae dux et princeps et Persiae et Babyloniae magnae et Aegypti et Macedoniae, Cumaniae, Blanchiae et Russiae, Semoniae, Aethiopiae, Slavoniae, et Africae, et Ciciliae Rex. Omnibus studentibus et studere volentibus in civitate Bononiae salutem et scientiarum felici gloria mundum omni tempore gubernare.

Noscit majestatis clementia, philosophorum ac poëtarum, omniumque facultatum et liberalium artium errando defluentium per diversa preces humillimas decrevimus exaudire, quo et in qua parte nostri imperii civitatem aptam studio construere deberemus, in qua philosophi et poëtae, periti legum Romanarum, liberalium artium et facultatum omnium scholaribus scientiam affectantibus debeant liquide ac libere promulgare, ingenti studio doctrinam studentibus tribuendo, unde a nobis pro levissima deliberatione praehabita per spatium XXV. mensium et ab eisdem philosophis et poëtis et peritis civitatis Bononiae, quae in quadrivio quatuor provinciarum permanent, scilicet Liguriae seu Lombardiae, Marchiae, Veronae, Romaniolae ac Tusciae, ad perenne studium ordinamus, quam ab hodierna die in antea numerorum secretorum armarium reputamus. Ad haec autem peragenda et firmanda in Romana urbe, in concilio siquidem generali, omniumque Christianorum regibus convocatis, omniumque praelatorum existentium per summum pontificem Coelestinum super studium, et studentibus specialiter civitatem Bononiae memoratae per papales litteras Christianis omnibus admonitis confirmamus, quod incorruptum et inviolatum super nuncupata civitate Bononiensi debeat permanere, cum constitutionibus

studii, et studentibus infra scriptis civitatis ejusdem lectis et approbatis in concilio memorato in Romana nostra excellentissima civitate, die nona intrante Majo, nostra autem imperialis majestas discedens a civitate Romana et dirigens gressus nostros usque in civitatem Bononiae supra dictam, quam die primo Junii intrante nostris propriis manibus omnium scientiarum reaedificamus praemunitam muris et validis circumdatam cum munitionibus turrium et vallorum usque ad diem secundam Julii sequuturi perfecimus, et effectui praedicta omnia demandari, et ut praediximus statuentes, si quis causidicus sive judex sententiam aliquam tulerit, nisi in nostra civitate Bononiae supra dicta per quinquennium studuerit, ipsamque sententiam et sententias annihilamus, et irritamus et volumus esse nullas et nullius momenti etiam et valoris. Et si quis ad magistratus dignitatem pervenerit et librum ab Archidiaconatu majoris ecclesiae non susceperit magistralem, quamquam a peritis cujuslibet facultatis fuerit approbatus, ab ipsa eum dignitate et dominio privamus. Et si quis scholarem aliquem in terra vel aqua offenderit ad studia veniendo sive redeundo a studio modo aliquo vel ingenio in persona vel rebus, capite puniantur a praesule civitatis, castri vel villae, vel contratae aut loci, ubi deliquerit malefactor. Quodsi praesul vel Dominus vel potestas aliquorum praedictorum locorum facere desierit, poenam eandem patiatur omnino; civitati autem nostrae Bononiensi in districtu ejus volumus providere, sicut ab orientali parte currit Samibon sive Gensun de Alpibus nivosis in vallibus Padi, et in ipsa aqua Padi, et sicut a Meridionali haec Alpes protenduntur usque ad Alpes Scalarum, et sicut ab occidentali currit Leo de Alpibus in Scoltenam, et sicut Scoltena seu Panarium defluit in Padum, et sicut a septemtrionali parte decurrit Padum usque Baldalerium, praecipimus, volumus, jubemus de districtu Bononiae permanere, hoc salvo, quodsi Ferariolo, quae de ducatu Comadensi consistit, ultra Padum transire voluerit,

eis usque ad duos annos proximos peremtorie liceat pertransire, et civitatem aedificare; ita tamen, quod in ipsa aqua Padi, non liceat eis aliquod aedificium attentare; sed solum iter Padi praebant securum per aquas Padi et in vallibus eorundem sine aliqua datione muneris euntibus et redeuntibus omnibus per civitatem et locum praedictum omni tempore ob reverentiam crucifixi, et propter imperii celsitudinem cognoscendam, ad quam pertinent reditus Padi fluminis et aquarum, et hoc ad postulationem nostri summi Pontificis Coelestini; alioquin sub protectione et jurisdictione Rectoris et communis Bononiae debeat permanere, firmiter statuentes, quod nullus rex, princeps, dux, vel Marchio-comes, nulla civitas, nullum commune, nulla denique persona saecularis v. ecclesiastica, alta v. humilis dictam nostram civitatem Bononiensem, nec suos cives, vel communicativos, nec aliquos alios, qui sub ejus protectione sint v. fuerint in aliquo, et has nostras constitutiones praedictas in rebus v. personis audeat perturbare, nec modo aliquo molestare; quod qui facere praesumserit, in ultionem suae temeritatis libras decem millia auri purissimi pro poena componat, quotiescunque praesumserit contraire dimidium imperiali camerae, reliquum civitati Bononiae integre persolvat, et immunitionem civitatis ejusdem poenam dictam volumus devenire.

Jurisdictio Rectoris.

In cujus rei certam in posterum evidentiam praesentem paginam conscribi jussimus, et sigillum nostrum auri purissimi appensione fecimus roborari. Et venerabilis Pater Petronius natus in urbe nostra Constantinopolitana Graecorum de genere Caesarum urbis ejusdem, nunc Bononiensis episcopus, precibus suis intervenientibus interposuit partes suas cujus exemplar hujus sacrae constitutionis bulla aurea nostrae majestatis impressa; et scriptum manu Ciceronis nostrae magnae curiae notarii ad perennem memoriam et utilitatem sacrae et fertilis civitatis Bononiensis tradimus gubernandam,

sedentes in Capitolio in solio nostrae dignitatis, hoc solenne privilegium pronuntiavimus, ad quod faciendum principes et reges, barones et praelatos ecclesiarum tam citramarinos, quam ultramarinos fecimus convenire. In quo primo venerabilis pater Coelestinus, apostolicae sedis, et sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae pontifex generalis interfuit. Interfuerunt etiam duodecim Cardinales, scilicet:

Fernandus, frater regis Galliae, Compostellan. Canonicus, Episcopus Penestim.; Gursias, frater regis Castellae, episcopus Hostiensis; Vincentius Campanus, sanctae Mariae inviolata (sic) Diacon. Cardinalis; Samuel, patriarcha Jerosolimitanus Paulus, prior Camaldulens.; Lotterius, archiepiscopus Ranens.; Manuel, Constantinopolitanus imperator auctoritate nostra; Andronicus, rex Thessalonicensis; appellavimusque Fridericum, illustrem regem Franciae, et Philippum, nobilissimum regem Angliae, a quibus recepimus literas continentes, ipsos variis et arduis negotiis esse totaliter impeditos, quod ad nos venire nequierunt (*in margine:* non poterant). — Veruntamen rex Franciae transmisit Balduinum, comitem Flandriae, et rex Angliae transmisit Gualterium, comitem Pictaviensem, (*supra scriptum:* Portaviensem), ipsorum ad hoc nuntios et procuratores speciales constitutos. Interfuerunt etiam patres conscripti centum numero senatores: Cornelius et Tiberius, praetores, pisti Ciceriоni Hispaniae proquaestore, Pirus, praefectus vigilium sericis dolabrum, et alii reges et principes, et barones, et ecclesiarum praelati, quorum nomina praesens calamus non sufficeret ad scribendum; praedicto Ciceroni, magnae nostrae curiae notario damus et concedimus licentiam et potestatem, ut cunctis regibus, baronibus et personis volentibus et petentibus hujus sacrae constitutionis exemplar, ubi nostra non possit adesse praesentia, possit et debeat exhibere. — Sub anno nativitatis Domini

nostri Jesu Christi CCCCXXIII. indictione sexta, incipiente imperare Theodosio minore et imperante XXVI. annis. —

Sequuntur literae Arnesti, archiepiscopi Prag. die 10. m. Aprilis a. 136. datae in tomi II. parte I. pag. 229. exstantes.

Rector Universitatis studii Pragensis

pro defunctis. mandat omnibus Magistris, baccalariis et studentibus Universitatis ejusdem: quatenus hodie hora vesperarum in ecclesia s. Galli intersint vigiliis decantandis pro animabus benefactorum praefatae Universitatis; et cras hora XV. missae defunctorum, nec abinde recedant, nisi vigiliis et missis terminatis; alias poenam luent IV. grossorum irremissibiliter solvendorum. secus facturi.

Datum Rectoratus sub sigillo.

Idem mandat omnibus et singulis non intitulatis pro studentibus se gerentibus (*penna insulsa supra scripsit:* habentibus), et privilegiis ac libertatibus ejusdem Universitatis gaudere volentibus cujuscunque etiam status, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae: quatenus veniant ad intitulandum seque infra octo dies proximos et continuos libro Universitatis realiter et cum effectu intitulari faciant, et inscribi; sub poena non intromissionis pro non facientibus. de intitulatione.

Datum Rectoratus sub sigillo.

In Rectoratu Mag. Laurentii de Rokyczana veniens quidam Petrus, natione Polonus, asserens, se baccalarium Parisiensem et baccalariandum formatum Romanum ausu temerario ductus quoddam exemplar ad modum conjunctionum confecit, quod certis personis distribuit; qui post citatus, ut reddat suae positionis rationem, non valuit; imo et tabularum astronomicalium nondum bene noverat ingressum, qui post correptus est, ei in praetorium impositus veniam optavit.

In Rectoratu Mag. Martini de Wlassim
anno Domini MCCCCQQ (1499).

Mag. Simon Chrudimensis, collegiatus collegii o. o. S. S. proposuit querimoniam in Joannem Baccalarium de Pieska, quod idem baccalarius nitebatur, eum percutere fuste et focariam ejus, Joanne vero baccalario contradicente verbis Magistri Simonis, et innocentiam suam attestante testimonia a Mag. Simone expetivit, quorum defectu res placitatione et amica compositione ad reconciliationis finem est perducta, et per Rectorem ac consiliarios paci redacta.

Anno eodem circa festa Nicolai facta convocatione Rectorum scholarum Pragensium cohortatio publicata est, eisdem Rectoribus pro vitae honestate, studiique diligentia servenda. Insuper optio data Rectoribus invenire aptum incedendi modum in colenda die Scti. Nicolai tenenda.

Qui modo invento cartaque signato, Rectori Universitatis obtulerunt, hunc videlicet, quod inaurari nolunt, nec uti gemmis et argento currus equites tubasque postponere, et humilius incedere.

Prima vero Nicolai S. tenta vespera Rector Jacobus bacc. ad St. Egidium et Rector scolae St. Henrici Georgius Chrudimensis etiam baccalarius curribus equisque fruiti, episcopos conduxere in domos. Altero vero die cum tubis, curribus, equitatu, strepitu ac clamore veteris novaeque urbium Pragensium plures lustravere vicos, citati vero per Rectorem semel, bis et ter, comparere mandato Rectoris omnino renuentes, ad certos in contumacia perseverarunt dies. Tandem interventu generosi Domini Wrbik et Domini Joannis Pytlik civis Pragensis ceterorumque concivium Pragensium humiliatione facta Rectori et exhibita veniam consequuntur.

Sub Rectoratu Mag. Wenceslai de Pacow.

Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono grandis controversia suborta est et multa in temporeque productiori longe vehementer exaucta inter Joannem bacc. de Pačow parte ex una, et Jacobum de Čechticz alterum baccalarium Universitatis nostrae parte ex altera, ex qua plurima et confusione plena irrepserunt, tandem etiam ad usque contentiones gravissimas et pugnas reales excanduerunt et re ipsa experti sunt; quae omnia et singula perpulcre inter eos sunt complanata et mox pacifice comsopita ac ad bonum usque finem habita reconciliatione quovis strepitu judiciali adempto Magistrorum reverendorum mediatione, utpote Mag. Jacobi de Pačow et Mag. Pauli de Zacz, directorum collegii apostolorum tali sub pacto, tempore, ut peramplius futuro nequaquam praesumant in recordationem malivolentiae ducere haec et similia, vel insolenter refricare. Haec acta sunt coram Rectore praesentibus Magistris supra commemoratis ac quibusdam et sacerdotibus et saecularibus in aestuario ipsius minore Paulo superiore.

Sub Rectoratu Mag. Georgii Kaurzimensis.

Anno 1503. feria III. ante Petri et Pauli facta est amicabiliter concordia inter Mag. Mathiam de Pelhrzimow una ex parte, et bacc. Holczaph parte ex altera, et coram Magistris et Rectore notificata sic, quod Mag. Mathias dedit Holczaphoni bacc. 14 sexag. gross. Misnens. et ille totum jus suum in Dominam Martha Brozkowa Mag. Mathiae condescendit.

Item in vigilia Petri et Pauli lata est sententia inter Magistr. Joannem de Opoczna una ex parte, et Petrum filium Lexonis parte ex altera, ubi Petrus culpavit Magistrum de cista a Mag. Georgio sibi data et per commissarios et detenta et aperta, quod Magister non negavit et ad hoc Petrus duxit

testes. Magister vero respondebat, quod antequam commissario jure commissionis in bona praedicta se intromiserant, dixit Petro, ut cistam sibi datam tolleret, qui neglexit, et hoc Magister testibus eisdem quos et Petrus duxit, approbavit; Magistri vero sic invenerunt, quod postquam Petrus dictum Magistri spernens, neglexit cistam tollere, Magistrum non esse Petro culpabilem, sed Petrus cistam recipiat, si vult, et si quis ex ea aliquid movit, et receperit, in eo sua Petrus jure quaerat, ei non denegatur.

Et super haec Mag. Joannes super suum sacerdotium et conscientiam professus est, nihil horum attigisse. —

In Rectoratu Mag. Jacobi Pacowiensis.

Item anno Domini millesimo quingentesimo quarto, feria V. St. Steffani post nativitatem immediate Magister civium civitatis antiquae Pragensis cum Dominis pluribus consulibus venit ad collegium Caroli cupiens habere doctores et Magistros convocatos. His convocatis Mag. Joannes prothonotarius statuit sermonem satis diffusum ac elegantem, continentem multa varia et necessaria. Inter cetera tamen nomine Magistri civium et consulum, quod magnam gerunt domini sollicitudinem de Universitatis bono, ut proficere possit, et in majorem multitudinem augeri, et vos Magistros exoptamus, quod stetis cum dominis, sicut et ante, et nos vos nequaquam derelinquemus, sed omnino volumus protegere.

Wenceslao Candido Pragense artium praeceptore et honoratissimi senatus majoris civitatis Pragensis prothographo pragmatico, gymnasii Rectorem gerente, haec subito nata causarum negotia jurisdictione compromissisque composita fuerunt.
Anno Christi XV^{c}.XI.

Principio vertebatur causa inter Andream, baccalaurium, Rectorem gymnasii ad St. Gallum ex una, et Joannem bacc.

dictum Ramess. Rectorem gymnasii ante laetam curiam parte ex altera, eo quod Joannes quosdam scholares de gymnasio ad St. Gallum fugitivos in suum susceperit gymnasium praeter et contra (?) scitum voluntatemque Andreae et statutorum, praeter praescriptionem. Sententia itaque lata, quod statutis jubentibus scholares priori restituat Joannes gymnasio, et poenam statutam luat decretam etc.

Actum anno XV^{c}.XI. feria VI. ante Martini.

Item inter cantorem ad aedem divi Henrici et Annam viduam sutricem, qui quidem quibusdam ad se vicissim litteris missis, et illis quidem famosis sese criminis accusabant. Quorum litteris inspectis inventum est: posteaquam Anna vidua prior dedit libellum famosum in cantorem, prior verbis honestis emendet, cantor deinde similibus eam mulceat verbis. Paribus etenim delictis, pares debentur emendae. — Actum feria II. ante Epiphaniam Christi anno XV^{c}.XII.

Item Bartholomeum et inter Mag. Matthiam Pelhřimoviensem de promisso sex sexagenarum secundum testamentum Mag. Pauli solvendarum inventum est: postquam Bartholomeus civis Pragensis testimonio probavit, quod Mag. Mathias gerens commissarium dare sex sexagenas illi pollicitus est; datur pro eo sententia, et Mag. Matthias, ut in sex hebdomatibus illas deponat, et alias in praetorio novae civitatis Pragensis quaerat etc.

Actum anno ut supra, feria III. Fabiani.

Item inter directores collegiorum nationis Bohemicae quaedam inerudita nata erat seditio, de promovendis et porrigendis scholaribus suis ad bursas etc. — Composita est per modum placiti anno ut supra feria IV. die Agnetis.

Item inter Simonem baccalarium et ad St. Michaëlem Rectorem et inter Wenceslaum bacc. luscum Rectorem Gy-

mnasii ad St. Aegydium similis nata erat quaestio de fuga scholarium ex uno gym. in alterum. Ubi Rector St. Aegydii, ut reus est damnatus, et poenas statutorum multatus, gratiam tamen sicut ceteri obtinuit.

Actum anno XV.cXII. fer. VI. ante Sophiae *Τελως*.

Mag. Wenceslaus Letomyslius,

Rector gymnasii Pragensis, regiae majestatis capellanus, electus anno 1515.

Hic bona Universitati Pragensi sui officii diligentissima et partim magnifica administratione, quae senioribus non placuit, ordinavit et effecit. Unum et singulare, quod sui praedecessores nunquam efficere potuerunt, privatorum calceos rotundos et incisiones duplices manicarum sub poena 2 gross. alborum interdixit, et ad eum finem deduxit; itaque nullus ex baccalariis, studentibus, scholaribus ausus erat in illis calceis et cum talibus incisionibus deambulare.

Alterum 1513. anno Christi examine magistrali habito et quinque Magistris recenter creatis, tempore sui officii Rectoratus anno 1515. feria II. in die Laurentii examen Magistrale aperuit, et quatuor Magistros creavit, nobilitavit ac determinavit: Mag. Paulum Pragensem, Mag. Nicolaum Letomyslensem, Mag. Wenceslaum Rożdialowicensem, Mag. Georgium Pragensem, praesentibus excellentissimo senatus Pragensis principe, Domino Buryano et Domino Joanne Hlawsa ac ceteris consulibus.

Postremum et nobile id sua cura et consilio cum dominis Pragensibus capto, licet quidam Magistri contradicebant, non advertentes bonum Universitatis, fecit et disposuit: quod regiam majestatem per dominos Pragenses ad Viennam legatos et Mag. Wenceslaum Album Pragensis senatus cancellarium sollicitavit pro litteris ad Synodum dominis baronibus

super eo demittendis, quod nullus dominus suum subditum de nostro studio, quod se in eo contineret, auferre et recipere audeat, quod quidem se facturum regia majestas promisit, scilicet quum prope finem officii mei id actum erat, Joannes obligatur futurus Rector, quod accurate et diligenter cum dominis Pragensibus, qui se nobis cum ceteris civibus sponte adjumento offerunt, ne id nobile opus inceptum, multum Universitati profuturum, ignavia negligat, sed pulset ac sollicitet regiam majestatem pro illis litteris edendis, ne illud gymnasium negligentia Rectorum ad unguem corruat ac decidat. Quibus tam memoratu dignis et praeclaris facinoribus confectis ac relictis, tandem ab illo officio absolutus est, quod in seniores Magistros iterum derivatum est, scilicet si aptiores et habiliores ad ea officia obeunda in gymnasiarchas eligerentur, posset id studium sola diligentia in parte aliqua recuperari.

Causas, quas habui et confeci, ne membranos maculem, hic non descripsi, praeter hanc, quae inter Mag. Brictium et Mag. Wenceslaum orta est partim ignominiosa; quae quidem auctoritate Rectoris et Magistrorum absque strepitu judicii perstricta et complanata est hoc modo: Magister Wenceslaus nobis materna lingua hac ratione confessus est:

„Nenarzikám ho, a neprawím naň niez zlého.“ Tandem nos addidimus, quod Mag. Brictium penes ejus litteras conservatorias habemus et tenemus pro bono et honesto Magistro, bonis et honestis parentibus de thoro legitimo: quod, si quis id ei insimulare conaretur, dicimus, quod sibi injuriam faceret.

Sub Magistro Duchkone Brodense,
generalis studii Pragensis moderatore.

Anno Christi 1516. mensis Augusti 16. die et 18. post ludum litterarium, cui „Beaniae“ vulgo nomen est: duo

presbyteri simplices studium et membra in concionatione publica, verbis leviusculis detractoriisque perstringere ausi sunt. Exin baccalarii et studentes scholaresque Pragenses commoti cuneatim dominum Rectorem adierunt, et audens facinus reformatum iri poposcerunt. Quibus facile assensit, nihil enim restabat, quam ultio injuriae acceptae. Verum seditio in viros consulares delata, ut in defensatores gymnasii, qui lite sapienter et juste examinata omnem discordiam hac ratione sedaverunt. Ut vero posteri utrinque discant esse cautiores, et in Pragensium regestis, et in istis membranis arbitrarium hoc edictum est annotatum. —

— Gakož gest znikla nesnaz a ruoznicze mezy pocztiwými Panem Rectorem, Diekanem, Mistry, Baccalarzy a Studenty y wssím Vczenim obecným prazkým s gedné: A mezy kniezem Jakubem, fararzem Matky Božye przed Tynem, a kniezem Janem Honsu, fararzem v Matky Božye na Lužy s strany druhé: o kazanye, kteraž gsú tiž fararzi proti wsse^v^ uczeny obeczne^v^ prazske^v^, y Audom a Stawom geho, uczinili gich dotykagicze; gessto oni to gsú sobie nemalo ale mnoho obtiezowali, prawicze, že gim na gich a wsseho vczenije pocztiwosti gest wysocze sazeno; a ten glenoth uczenye prazské, ze gest tak doteczeno, že wysse a tize ku potupie geho doteczeno, gest byti nemohlo. — Strana pak druha wymluwy toliko ktere gest toho miela, ty gsú take slyssany; kdez po zprawie takowe wsseho Vczenye, obeczneho prazskeho, y take po wymluwach druhe strany Pany Purġmistry a raddami stareho a noweho Miest prazskych; toho gest na stranach, o takowe nesnaze aby na nich toho bylo mocznie przestano, k wyhledany slussnych prostrzedkű, s dobru gich woly dosazeno, kterymizby téz strany w mir a dobrý pokog, mohly vwedeny byti. A ze oni Pani Purġmistrzy a Raddy gisty poczeli k takowému, takowých prostrzedkű wyhledawanye, osob z vczenye prazskeho a z kniežstwa, k sobie przygiti miny. Y tak uczinïwsse przygiali gsú k sobie pana Rectora uczenye

prazskoho zstawno tehož uczenye sama ssesteho, a pana Administratora z vrzadu Duchownyho a z ffararzuo miest prazskych též sameho ssesteho. Y wice nesnazy s nimi spolu mezy stranami sprwu dotczenymi takowu wypowied, prohledagicze k obogi strany dobrev a pocztiwev, gakozto moczny vbrmane, mezi nimy uczinili gsú a giny etc.

Ze po zprawie gedne i druhe strany co gsú wyhledali, že niekterzy czinicze tu hru a beany, y take ony knieży swrchu dotczeny z porzadu a dobreho zpusobu, a chwalitebneho gsu wystupili wssak gedni mimo druhe wicze a tiže. Nebo prwny shrzessili gsu toliko nietze, mluwicze k niektery lehkosti osobam stawu duchownyho, A druzy v przymo y ku pocztiwosti i k lehkosty wsseho vczeny prazskeho y Audom geho vbližiwsse geho a gych neważnie dotykali; a podle toho y osob swietskych pohlawi obogiho ku pocztiwosti gich též przykroczili, a gich nemalo dotkli. A protož kterežkoliwiek osoby z uczenij prazskeho y z swietskych lidy obogyho pohlawy, y take wsseczkno uczenye prazske gsú dotykani, že my Purkmistrzi a Raddy miest prazskych to nalezame, že takowa dotykany od kniezy gmenowanych gich pocztiwosti netoliko ke sskodie., ale k naymenssi vczinie gich pocztiwosty wssech y wsseho uczeny uczenye prazskeho, i každe osoby, zwlasstie též i osob swietských, obogiho pohlawi negsu a byli nemohu, nemagi a nebudu, nyny y czasy buduczy wiecznie.

Nebo oni swrchu gmenowani knieży a ffararzy gich wssech a wsseho vczeny prazskeho; y každe osoby zwlasstie tez osob swietskych obogycho pohlawy nemieli gsú a nemagy, než za gine dobré, y zachowalc lidi, gako ge pani a wssickni giny dabrzy lide magy a drży. A czožkoliwiek takowym dotykanim proti wssechniem proti take wssem uczeny prazskemu, y proti gedne kazde osobie z vczeny neb swietskych, obogyho pohlawye se gest stalo a wystupilo ze my wssech spolu, y gedne každe osoby zwlasstie zadame, aby to z srdcij swych wypustili magicze k sobie dobru a krze-

stiansku wuoli a lasku gim toho niczym zlym nezpominali pro nassy żadost a przymluwu to vczinieze, nebo my to wsseczko mezy tymiž stranami gakożto mocny vbrmane tauto wypowiedi zdwihame; A ge w dobry mir a pokog uwodime. A czoż se tu k nassy żadosti stane że my to wssechniem, y kazde osobie obzwlassi dobrym przatelstwim chczmy odplatili nynye, y na czasy buduczy.

Než przi tom obogim toto nalezame nebrž i przikazugem, aby gedni y druzy proti sobie, ani takowymi wieczmi ani gim podobnymi od dnessnyho dne newystupowali, ale rzad dobry mezy sebú wedle praw swych statut a swobod dobrych chwalitebnych, y starobylych obyczegiow drželi a zachowawali; A radiegi se na obie strany milowali a welebili, nežli se kazyli a hanieli; kterażto wiec netoliko gim sskodliwa, Ale tez wssechniem tiemto miestom prazskym, i obywatelom byti bi mohla. Gestli że by pak kdy to se przihodielo, že by ktera osoba proti ktere czo prowinúla, aby se swymi prawy a statuty a wysadami na obie stranie hledieli, a prawem žiwi byli, swe pomsty nad sebu mimo dobry rzad a zpusob žadnym obyczegem neczinicze. Pakliby ktokoliwiek z dobryho rzadv a zpusobu wystupie prawiem žiw byti nechtiel, že takowy každy ma od porzadneho sweho trestan y pokutowan byti, tak aby se gim giny trestati a takowych wieczy y gim podobnych se nedopusstieti mohly. —

Actum in collegio domus Caroli in stuba facultatis artium praesentibus magnificis D. Magistris civium et senatu antiquioris et novae civitatum Pragensium; administratore in spiritualibus suo cum officio, universo ferme parochiarum clero, Rectore Universitatis Pragensis, Magistris baccalaureis, baccalaureandis, studentibus, reliquis quoque civibus, litterarum studiosis — anno Dominicae nativitatis M.V^{c}XVI. feria III. die passionis Ludmillae.

Wenceslao Candido artium Magistro, Pragensis civitatis Cancellario.

Magister Wenceslaus Letomyslius

reg. Majestatis capellanus, officii archiepiscopatus Pragensis ejusque administrationis executor, ac divi Apollinaris in monte ventoso Decanus, in Rectorem generalis studii Pragensis electus. Etsi pro examine ad gradum Magisterii aperiendo convocationem fecerit, nullis inventis ad id personis idoneis fatis id commendavit: has tamen causas judicii tenore in sua administratione majores decidit cum dominis Pragensibus senatoribus ad id destinatis a domini 1517. Mag. Paulus Przibram citavit Mag. Wenceslaum de Zaacz Vachkonem de eo, quomodo suae famae et honori contumeliosis verbis derogaret, eumque coram officio Rectoratus ac consulibus accusavit. Mag. Wachek conatus erat juri Rectoris refragari eam causam in statuta domus devolvens. Sed cum jurisdictio Rectoris super omnia supposita et praepositum excepta mense portione extenditur et res in publico etiam acta est, demandatum est ei coram supremo officio Rectoris respondere; res more placidi est complanata: Mag. Wachek Mag. Paulo reformat istis verbis: Mistrze Pawle, cocz sy na mie pużalowal, prawjm ze gsem toho o tobie nemluwil, ani k tobie nicz, miel gsem tebe za poctiweho a dobreho mystra, mam a miti chczi.

Item sacerdos Jacobus Laetae curiae plebanus in sermone nominavit propter Rezconitarum ludum, quem paschae post prandia sine requisitione Rectoris, et directorum exercere voluerunt, studium Pragense, clenodium rubiginosum. Audita causa est et ab administratore et Rectore accusantibus Magistris artium ille se pollicebatur eis in eodem loco hoc reformaturum et ita fecit in die Trinitatis.

Item causa difficilis aliquot septimanis cum senatoribus magistratus Pragensis versata erat de stuba Mag. Wenceslai emortui Rauss, inter amicos mrez (?) fieri et debitores, quam

etiam felici auspicio juste terminavit et edictum oblongum cum praefatis dominis fecit, quod in charta descriptum est. Item cetera contingentia oculato signanda lapillo fortunae mando.

Laurentio Trebonio

presbytero et artium liberalium Magistro generalis scholae Pragensis munere Rectoratus

fungente perquam difficilis inter Mag. Wenceslaum Zatecensem, et Mag. Paulum Przybram Pragensem lis ac controversia de ephemeridibus volvebatur. Nam Mag. Paulus affirmabat cum alibi, tum coram officio Rectoratus, Mag. Wenceslaum Zatecensem falso calculasse ephemerides, nec unam esse rigam, quae careat menda; praesertim pro anno 1517. calculata; pro anno vero domini 1518. non astrologica judicia ćed astronomicas supputationes carpebat conviciabaturque. Mag. vero Wenceslaus imprimis astronomicas calculationes, ut radicem judiciorum defensare cupiebat. Interrogati sunt sub qua longitudine situant Pragam.

Mag. Wenceslaus Pragam, distare ait ab occidente habitato 37 grad. 30 min. et differre a Toleto meridianum Pragensem 1 hora 48 min. Et hoc nitébatur ostendere multipliciter. Primo per cosmographiam Ptolomei triplicem; nam per $37^1/_2$ grad. Praga situabitur ad Albim per 29 grad. prope Rhenum. Secundo per tabulas regionum et differentias a Toleto: supponendo Toletum distare ab occidente habitato secundum Ptolomeum 10 grad. supputando pro 1. hora 15 grad. et 4 min. 1 grad. distabit Praga a Toleto 27 grad. etc. Tertio supposita prima oppositione in Januario anni 1517. pro Toleto aequatá per Alphonsum, et addita differentia longitudinis Pragensis a Toleto; verificabitur illius oppositio: oppositio Toleti 7. die Januarii 13 hor. 22 min. Pragens. erit 7. Jan. hora 15 min. 10.

Quarta ostensio: sensu indicatur Nurinberga occidentalior esse Praga. Sed orientaliores addunt ad occidentaliores. Si autem 29 grad. esset longitudo Pragensis, cogeretur Nurinberga addere ad Pragam, ut exemplo probavit: in ☌ Octobris instantis anni et aliis calculatis per 29 grad. longitudinis, et hoc respectu lunationum Joannis de monte Regio in calendario suo etc.

Quinta ostensio: in tabula Joannis Saxonensis impressa cum Canonibus Alphonsi longitudo Pragensis 36 grad. 20 minut. quae magis accedit ad 37 grad. quam 29 grad.

Mag. vero Paulus Pragensis affirmat Pragam distare ab occidente habitato longitudine 29 grad. 0 minut. differentia a Toleto 1 hora 14 minut.

Primo probat ab auctoritate Mag. Joannis de *Lineriis* qui propria manu in vetusto codice longitudinem Pragensem adnotavit 29 grad. et approbat ex observatione eclypsium per instrumenta magna et magnos triangulos.

Secundo ad Ptolomeum respondit longitudines civitatum et regionum, quas ipse per deliquia luminarium non approbat, sunt respuendae, ut ipse in Almagesti et cosmographia testatur. Nam non est tanta fides danda peregrinationi exploratorum, sicut longae observationi astronomorum.

Tertio argumentabatur, ad nihilum redigi debere nostras et circumadjacentium tabulas, quia omnes nostrae resolutae calculatae sunt ad 29 grad. longitudinis.

Unde supposita (vel supputata) ☍ Januarii superius scripta ad Toletum ex oppositione harum urbium accepit differentiam a Toleto, et investigavit longitudines infra scriptarum urbium, Nurinbergae longitudo 27 grad. differentia 1 hora 9 min.; Pragensis 29 grad. differentia 1 hora 14 minut.; Viennae 31 grad. differentia 1 hor. 22 min. Cracoviae 32 grad. differentia a Toleto 1 hora 26. minut.; Budae 36 grad. differentia 1 hora 44 minut.

Et secundum has longitudines, praedictarum urbium

ephemerides lunationesque omnes dixit esse calculatas. Tot et tantis rationibus pro utraque parte adductis, coram officio Rectoratus assidentibus doctoribus et Magistris ad audientiam horum convocatis, tale inter dictos Magistros propositum est medium:

Quum ambo fateantur, Joannem de monte regio ut principem astronomorum sua aetate, recte calculasse in calendario suo lunationes et eclypses pro meridiano Nurinber gense quapropter per easdem tabulas, s. Alphonsi: deliquia solis et lunae anni 1518. labentis ambo pro meridiano Nurinbergensi calculent, et calculationes suas in scriptis coram officio Rectoratus deponant, ex quibus facile deprehendetur cujus longitudo sit praecisior. Verum tamen cum instabat tempus divulgandarum minutiarum; dictum est mag. Wenceslao, uti es electus a Magistris pro astronomo publica minutias. Si autem aliquibus mendis scatent, in tuum dedecus convertantur. Mag. vero Paulo dictum est: Si placet, poteris inter amicos a se calculatas ephemerides distribuere, ita tamen, ne inveharis in Mag. Wenceslaum falsarium appellando. Nam persuademus nobis ex superius disputatis utrumque per suam longitudinem recte praeciseque supputasse. Accedit et hoc quando estis ambo Universitatis Pragensis Magistri, ne vestra controversia aliquod ignominae Universitati afferret.

Sub Rectoratu nostro non deposuerunt eclypsium supputationes; proinde haec lis usque quaque componi potuit minime; quid futurum sit ignoramus.

Anno Domini 1519. in exordio Rectoratus Mag. Laurentii Trebonii, capellae Bethleem Rectoris per tres Magistros, de electione decani tandem et Rectoris et Directorum gravis controversia dissensioque orta est; hi profecto Decani electionem non fuisse legitimam asseverabant, et ideo turbas inimicas movebant, dicentes, hanc electionem seniorem e facultate artium fundasse in quadam propositione, quod scilicet

praepositus collegii Caroli officio suo defunctus pro consuetudine decanus deligi debeat. His reliqui omnes de facultate artium Magistri pleno ore reclamabant; sed penes statuta liberis vocibus decanum electum fuisse asstruebant, et ita in electionem Rectoris et Directorum processum ratum esse voluerunt, quia super pluralitate vocum rite concludebatur. Quare convocatis doctoribus (deletum) et Magistris praecipue de consulatu Pragensi, ut tranquillitati Universitatis consulerent, super hac lite conclusum est: Decanum liberis suffragiis numerositate vocum legitime fuisse delectum. Ideo reliquus processus in electione Rectoris et nationis Bohemicae directorum validus fuit; neque in posterum, quod pluralitate vocum penes statuta rite fuerit (decretum), quisquam violare attentet sed in similibus casibus statutis faveant, et illic veluti regula quadam non errabunda, non tantum in publicis actibus et officiis sine invidia conferendis; verum etiam in privatis moribus regi velint, studeant et totis industriae nervis conentur.

Magister Wenceslaus Letomyslius

Rector Gymnasii Pragensis, ecclesiae S. Apollinaris privilegiatus decanus.

Contingentia quaedam et controversias inutiles membranis istis tradere nolui praeter unam de electione decani, quam aliqui Magistri illegitimam, et circa electionem Rectoris asserebant, ob quam quidem electio Rectoris fuit dilata ad feriam V. post Galli.

Tandem in fine officii mei cum eam complanare brevitate temporis interceptus nequiverim pugnacibus Magistrorum sententiis occurentibus novo Rectori officium resignavi, nec in me diuturnius tenere volui, anno Domini 1519.

Mag. Wenceslaus Letomyslius Rector Gymnasii Pragensis ac Archiepiscopatus ejusdem civitatis sede vacante admi-

nistrator Anno 1521. Rectoratus officium administrare libentissime voluit, sed rabie pestis desaeviente, et demedio juvenes siniores tollente, nec personas idoneas ad examen Magisterii reperire, nec inflexisse aliquos potuit. Ea propter nulla negligentia officii mihi id contigit, quoniam omnia pro virili nostra tenamina tenuimus et determinavimus.

Anno eodem causa humani generis scelerum omnium conditor, rerum cladem haud exiguam permisit in christianos hanc: quod Turcus per ingentem catervam militum confines provinciae Ungarorum teterrimá depopulabat, contra quem denique tota christianitas cumulabatur.

At is vero arce Beelehrad per fraudem obtinente, pariterque coadunationem perhorrescente, maxime quidem Boëmorum abiit et suam regionem Sophiae regi depopulari ut admitteret, impensius inivit.

Magister Joannes Presticenus
Rector Universitatis electus anno 1522

dum gregem sibi commissum post pestis saevitiam numerosiorem reddere contendit, dataque non vulgari opera frustratus, quatuor tamen viros in collegium seu ordinem Magistrorum asseruit, magistralique mitra, ornavit, videlicet: Joannem Choznam, Martinum Clatovium, Udalricum Humpolecz Pragensem, Hieronymum Mantuanum. Nam quintus Joannes Zluticenus examinatus titulum magistralem per contemtum aversatus est. Ceterum etsi causas nonnullas composuerit, ex his tamen unicam huic chartae pro futura memoria inscribendam voluit, coactus precibus utriusque partis. Item Catharina, Pauli uxor dicta Ssyparzowicz, insimulat Blasium Strzibrzensem Collegiatum domus Reginae, quod pallium pellitium ea inscia abstulisset, cupiens sibi reddi. Blazius contra ait, sibi a Catharina pelles dono esse datas et uterque fidem dictorum suorum in testes rejicit etc. Haec causa per amicos more placiti est composita, hoc pacto, ut Catharina his verbis allo-

queretur Blazium: Blażku giż ya ty blany mimo sě pausstim, a neprawim na tebe nicz zlého etc. et Blasius Catherinae: Prawim że ty blany ktere gsem k sobie przyal; pro nicz zlého a dobrým sem ga myslem ge przyal: gakož y ginym to wiedomo ge. Actum feria 4. post Reminiscere.

M. J. P. Prorector.

Anno 1523. Joannes Presticenus electione prorector Universitatis declaratus post Magistri Wenceslai Luthomyslensis obitum, qui tum Rector erat: statutorum jure habenas Universitatis regendae coactus suscipere ac tenere nec quidquam moliri potuit pro incremento Universitatis, prohibitus rei familiaris domus Caroli administratione, cujus tum onere premebatur. Nihilominus tamen tranquillitati studiosorum consuluit cum nonnullas controversias inter personas emergentes sedavit. Quarum haec unica hoc libro digna visa est, quae inter Joannem bacc. tum Rectorem scolae divi Egidii ex parte una et Joannem Rokyczanum Wosstyp dictum altera, de ignominiosis verbis mutuo in se conjectis. Haec studio amicorum inter eos ita composita ac ea lege sopita est, ut nulli unquam eam refricare citra famae periculum liceat.

J. Prest. Rector.
A. 1524.

En quam pertinax sit fortunae malignitas, quae cum semel, quem persequi coeperit, haud facile cessat, quod vires humanas pertinacia vel defatiget vel exhauriat ac penitus subnervet. Ejus saevitiae vel hoc evidentissimum argumentum est, quod continuo ad cumulum oneris addere solet, nec ullo intermittendi studio respirare ac vires resumere patitur. Haec itaque parum benigne cum Joanne Prestizeno agit, utpote quem iterum atque iterum annuo imperii onere gravat, quo

si quicquam virium post tot gestas provincias reliquiarum superfuerit, hostili animo extinguat, et multijugis curis lasset.

Utcumque tamen fortuna saeviat frustrata tamen conatu est. Siquidem luctatur cum onere imposito (licet haud respondeant vires) nec tamen frustra et vane; nam augetur Magistrorum ordo ac ex numero baccalariorum titulo Magistrali philosophiae et artium decorantur magistrique salutantur, scilicet: Joannes Zluticenus Karlih, Joannes Slanensis, Paulus Wodolinus, Joannes Prágensis Wopatowinus, Wenceslaus Piscensis Medek, Mathias Polnensis; adversante ac repugnante nimium fortuna. Actum anno 1524.

Mag. Thomas Wlassymensis,
Rector 1525.

Non adeo est fecunda Universitas nostra et nimium felix, quemadmodum sub antiqua aetate, ut quotannis movos ad gradum magisterii posset procreare filios ac viros idoneos ad altiora promovere; sed cum alii in hac parte optimae rei publicae literariae consuluerunt, ita ut nec opus esset magis consulere, etiam obmittenda obmisi. Licet multae dissentiones controversiaeque exortae fuere inter juniores, mediocres et seniores nostrae Universitatis milites, tamen ea omnia amicorum more, in pace bona sopita sunt, et extincta, et quae huic chartae mandare non refert, hac unica excepta de Magistri Nicolai debito, quod Servacio debebat; nam bibliopola Servacius cum Magistro Nicolao Ssud moram in judicio traxere sat longam, et eo demum ventum, quod Mag. Nicolaus, quidquid Servacio debebat hoc totum plenarie et integre dedit et persolvit nec amplius vel minimum nummum nomine debiti dare Servacio debebit, etiamsi aliquid in charta, registro aut chirographo esset inventum, nullam vim poterit habere, nam Mag. Nicolaus a Servacio et ejus omni debito

missus est, et ultima solutione hac quoque proscriptione totaliter absolutus est.

Sub Rectoratu Mag. Mathiae Chorumbii, anno a nativitate Christi 1526.

Quanquam multa et varia essent, vel hic vel alias reponenda, quae hoc anno acciderunt; tamen quia nimis infelicia et plus quam tristia sunt omnia, horret animus calamum, totusque devectus in luctum est. Unicum tamen necessario huic chartae mandandum est, quod quis velit, nolit legere cogetur etiam membrana hac evulsa. Id autem est judicatum seu sententia, quae lata fuit in Gallum Zattensem Czahera dictum propterea quod a D. Simone de Tyssnow, auri fabro in jus citatus pro quibusdam cyphis argenteis reddendis juri Universitatis tergiversantem varia ludens Rectoris officium, parere noluit. Cujus quidem sententiae ratio vulgari sermone hic descripta erat, quam ipse Gallus, animo Clodium, moribus vexo Catilinam referens, turpi litura distruxit; quando successor factus utcunque fuit Chorambo in officio, librumque hunc sibi creditum habuit. Cujus per lituram dehonestatio, post occasio fuit libri cum innovandi, tum membranis augendi.

Thomas Rakonus artium Magister anno 1527.

Ex oris Italicis merce literaria onustus rediens ab Universitate salutatus adsciscitur in honorem, ac summum Magistratum Universitatis electione solemni; quo fungens multa negotia perfecit, quae vel in decus et ornamentum vel commodum Universitatis vergebant. Etiam causas nonnullas absque strepitu judicii composuit, quarum aliquae ad vota partium hic adnotantur. Controversia, quae inter civem Pragensem Hluchy dictum, et Magistrum Nicolaum Ssud de pecunia

solvenda sedata est, namque Magister Ssud debitum illi persolvit.

Ea item, quae inter Martham Horczickowa ac Mag. Wenceslaum Medek, similiter de debito finem accepit. Lis inter Magistrum Dominicum Hoffmann, medicinae professorem ac Judaeum, qui plagis affectus fuit a Dominico, in concordiam amico more redacta est.

Gallus Zattensis Czahera regio edicto, tandem in exilium actus merito, multum negotii cum officio Rectoris tum toti Universitati exhibuit, in reddendo libro praesenti olim sibi credito, quem idcirco Rectori reddere negabat, quod hunc turpi litura (qua sententiam in se latam a suo praedecessore secundum statuta, destruxit) dehonestavit, unde timens crimen infamiae et laesae fidei fingebat coram senatu Pragensium futiles et vanas causas libri non dandi et praecipuam: ne nugae mendaciave sua quibus libri membranam fere totam resperserat perirent, quas tamen post Magistrorum concilium et consensus tollendas noluit itaque compulsus senatus Pragensis auctoritate librum anno elapso restituit deturpatum, qui post instauratus et a turpitudine vindicatus est.

Actum anno 1528.

Mag. Joannes Presticenus

suffragiis eorum urgentibus, qui ab Universitate electores declarati fuerunt, provinciam regendae Universitatis subit, et quidem haud sponte; videt enim rem parum prospere successuram, ob deploratam solitudinem ac paucitatem gregis studiosorum, quam ammoliri seu abigere non consiliis, non denique opera strenue data liceret. Quod augurium eventus ipse sequutus est. Porro habenas administrationis tenens, ac jus Universitatis administrans causas aliquot inter partes versatas, et judicatis seu sententiis, et placiti, ut dicitur, more

composuit. Quarum duae tantum adnotatione dignae visae sunt.

Prima, quae inter duos Polonos vertebatur: Mathias Polonus diem dixit Thomae Polono, ligatori librorum illumque insimulavit, quod litteras cum quibusdam formis, quibus libri ornantur, ex Polonia ab amicis Mathiae missas, ipse Thomas acceperit: monitusque, ut eas formulas ad se non attinentes Mathiae daret, renuit.

Proinde Mathias petit, ut Thomas ad reddendum jure cogeretur. Thomas respondens accusatori, negat se vel litteras vel imagines, quae ad Mathiam spectarent, accepisse; sed ea tantum, quae sibi attinebant. Mathias fidem accusationis in testes rejicit; quos tamen ad multas hebdomadas non adduxit. Idcirco hac sententia haec lis diremta est. Posteaquam Mathias accusationi nullum testimonium addidit, jure haec citatio Thomae in jus in nihilum redigitur, ac inhibetur Mathiae, ne prius Thomam inquietare citationibus audeat, quam justitiam paret.

Secunda fuit inter Hieronymum Coloniensem, et Martinum Coloniensem Collegas domus reginae, pro verbis contumeliosis et infamiam redolentibus simul de nudatione ferri in Hieronymum. Haec autem praesente Mag. Laurentio eorum directore arbitrii conditione composita est in hunc modum: Nos Rector cum Mag. Laurentio, directore, auctoritate arbitrorum, omnia verba, quibus se mutuo partes laeserunt, annihilamus, nulliusque famae in perpetuum incommodatura pronuntiamus, simulque decernimus, ut nulla partium alteri id refricare aut commemorare praesumat, sub poena fidei fractae. Nam ea verborum petulantia causam habuit noctem, atque calices vel vinum, quae nihil moderabile suadent.

Actum brumali tempore anno 1529.

Annus 1530.

Mag. Joanni Presticeno

pro administranda republica literaria paullo auspicacior cessisse, vel eo nomine videtur, quod dignatione Dei fortuna reluctante facultas adfuerit augendi, ampliandive ordinem Magistrorum; siquidem ex Baccalaureorum sorte quatuor viri translati sunt ac promoti in Magistrorum Collegium, magistrique artium creati sunt. Joannes Pragenus Zahradka, Henricus Dworensis, Stephanus Visovinus, Wenceslaus Pragensis. Causae autem, quae inter personas vertebantur, partim via placiti, partim judicatis terminatae sunt, ex quibus unica meretur hic annotari. Judaeus Zalman Chomutowsky in jus traxit Georgium bacc. Rectorem scholae Zderazenae, ab eoque vestem pelliceam et pileum mardurinum sibi furto sublatum et apud baccalaureum inventum jure reddi exigebat; at bacc. se pelliceum ac pileum emisse libere et praesentibus testibus fatetur, Judaeoque reddendum negat, nisi pecuniam, quam pro pelliceo numeravit, illi Judaeus reddat, et signis comprobet, pelliceum ad se attinere addens se ignorasse, rem furtivam emere, quod et Judaeus ex furis relatione confirmat; unde inter partes hac sententia causae lis sedata est. Quandoquidem id certo cognitum est, Georgium baccalaureum pelliceam tunicam atque pileum, non ut furtiva, sed libera emisse, et quinque sexagenis redemisse; quo circa decernitur, ut idem bacc. res emtas in jus deponat, quas, signis probabilibus datis, ac quinque sexagenis, licebit Judaeo pelliceum simul cum pileo in suam possessionem transferre ac redimere, quod cum factum est, Judaeus pelliceum et pileum accepit, baccalaureus vero quinque sexagenas etc.

Rectoratus Mag. Laurentii Trebonii ultimus

in spiritualibus administratoris post Galli 1530.

Ego vero Magister Georgius Pisensis, praepositus collegii omnium Sanctorum, vicerectorem tum agens, officium Rectoratus perficere cogebar. Nam dictus Mag. Laurentius, anno 1531. currente, festo Spiritus sancti gravi morbo pituitae molestae sodaeque laborans, vitam cum morte commutavit et hominem exuit. Causae vero inter personas istae tantum ordine vertebantur.

Item domina Ludmilla vidua illuminatoria Hieronymum bacc. evocavit, objiciens ei 5 sexag. Misn. veri debiti et tres annulos aureos; sed haec demum controversia inter eos ligamento matrimonii evanuit.

Item Stanislaus studens Żelezník cum conjuge sua Regina, Joannem bacc. cognomento Fausek, citavit 14. sexag. Misn. illi objiciens; sed quia tunc temporis testes ipsi in principalibus circumstantiis causae disconvenire sunt deprehensi, ea propter haec causa tum annihilata est; ea tamen sub conditione, ut dictus Stanislaus, si voluerit, denuo citet.

Etiam Georgius dictus Gyrka ad jus pertraxerat Mag. Martinum Glatovinum et Mag. Joannem Carolum Zluticenum, directores collegii nationis Boëmicae, per quos inde, ex unanimi omnium consensu ob sua mala facinora pulsus fuerat, objiciens illis 4 sexag. grossorum Pragensium, quam summam tempore suae mansionis dicebat se in habitaculum impendisse et cum directoribus pactum tale habuisse, ut exituro vel potius inde ejecto, persolvant. Cui tamen directores coram nobis contradixere, nullum se cum eo pactum facientes. Ille vero sperans, tamen ab illis summam extorquere se posse, dolo ac fraude, uti semper consuevit, proficiscens, inter reliquos testes, judices corrumpere contendens, suspectum ac falsum testimonium, sub nomine cujusdam Wenceslai Ssonowský de Ssonow et in litteris et in sigillo nobis obtulit, cui Ssonowský

resistebat, utpote falso et conficto doloque fraudeque. Eapropter nominati directores justa sententia gaudentes, a dicta summa sunt exemti. Ipse vero Gyrka ob tam audax injustumque facinus mox ad carceres Ssatlaniae, die divi Dionysii hora 15. conjectus est. Actum 1531.

Mag. Joannes Prest. de Jaworzicz

Juxta canones privilegiorum, suffragiis electorum legitime praeficitur reipublicae litterariae Pragensi pro anno 1532. ea quidem spe, ut eam a deploranda solitudine vindicare, classemque Magistrorum auctiorem reddere posset; at spe fallere et fraudare coëgit, cum languidus animus multorum bona studia fastidiens ac quaestuosas artes ingenuis praeferens; tum vero fortunae consilium atque institutum, quae praefecti animum alias rapuit, adque alia curanda ursit. Cum namque vidisset, ejus operam, quam haud vulgarem impendebat, perdi in rebus publicis collapsis instaurandis, ad privatas res animum deflectendum suasit, facile promittens, in his se illi comitem prosperam, perpetuamque fore. Is itaque ejus consilium sequutus ad rem familiarem aut domesticam administrandam accedit, remque litterariam Pragensem consuetudine deserit, cui tamen studio benevolendi haud unquam defuturus est.

In hac autem praefectura concordiae pacique studiosorum (alio calamo additum: nihilominus) dedit operam, nonnullasque controversias, quae inter personas ob linguae petulantiam exortae fuerant, citra strepitum judicum more placiti (ut dicitur) composuit; ex quibus nulla digna visa est, huic libro mandari, ne occasio sit futuri dissidii personis, quae in gratiam reductae sunt. Vale.

Datum feria 2. post omnium Sanctorum anno 1532.

Anno Christi 1533.

Sub Rectoratu Mag. Georgii Piesensis, praepositi tum collegii omnium Sanctorum, nulli judiciorum strepitus ventilati ac agitati fuerant, qui merito posteritati exemplo esse possint; praeter, quod baccalarii ferme omnes circa festum divi Georgii, adversus quemdam cantorem divi Nicolai in antiqua civitate statutis nostris perculsi insurrexerunt; quia non existens intitulatus eandem scholam persuasione ad hoc quorundam parochianorum inductus, gubernare regereque attemptaverat. Sed talem ipsius audaciam ac temeritatem officio nostro compescuimus ita, ut a modo nullus officialium scilicet cantor, custos, succentor, audeat regimen scholae adsumere, nisi prius fuerit intitulatus.

Sed ne istud quidem silentio involvendum est, quo pacto infelicissimo hoc tempore in civitatibus praecipue Pragensibus scholae nostrae litterariae, quas particulares appellitamus, diminutionem suam in scholasticis ac domicellis persentiscunt; ad tantam enim inopiam devenerunt, quae a fundatione Universitatis nostrae audita non fuerat. Et illius mali causa sunt mali ineptique illi sophistae, puerorum paedagogi, qui hac in urbe adeo inundaverunt, ut ferme tot jam visuntur (sic) paedagogiae, quot sint in urbe domus. Taceo hic, quid de talibus sophistis divus Plato in dialogis suis sentiat. Ille enim e civitatibus omnibus ceu tyrannos, adulatores, ac animorum pestes, sophistas videlicet, censuit esse pellendos. Nunquam, quos in artibus instruunt adolescentes, non reddunt eos meliores; at dimittunt semper deteriores. Quamobrem cupientes scholas illas particulares ab illorum tyrannide vindicare, ad melioremque pristinum statum perducere. Senatum Pragensem tamquam nostri studii vel praecipuos patronos defensoresque sollicitavimus, ut nobis hac in re auxiliares manus praestare non dedignetur. Addidimus item, quae mala inde promanant, scilicet diminutio omnium membrorum, magistrorum, bacca-

laureorum, studentium, scholipetarum; hinc fit, quod in clero quoque viri egregii doctique desiderantur. Nunc siquidem in statu spirituali regnant, primasque tenere videntur illiterati idiotae, campanatores, artificesque etc.

Quod malum aut omnino cessasset aut diminutum fuisset, si paedagogi illi sophistae e civitatibus istis auctoritate dominationum vestrarum propellerentur. Ad quae omnia et multo plura domini Pragenses id nobis responsi dedere: Non ignoramus, rem, quam adgravatis, Universitati vestrae, si per nos sopiretur, plurimum esse accomodam; sed tamen nunc votis vestris satisfacere minime possumus, timentes, ne majus dissidium faciamus; nam illi ipsi paedagogi, ut audimus, sub ferula sua multos habent libertos, Baronum, militarium, civitatensiumque, inter quos tam cita dispersione inimicitias nobis comparare possemus; adjicientes et id: Date primum vobis operam, ut vestri baccalarii, qui in omnibus indiligentiae arguuntur, accuratius in scholis illis juventutem primis principiis imbuant, quo demum facile fiet, quod isti paedagogi, qui paullatim per illorum negligentiam in urbem nostram irrepserunt, e diverso suapte sponte citra omnem controversiam evanescent dispergenturque. Quare postquam ita res habet, nos nullum non moveamus lapidem, omnes exhibeamus operam, pro sublevanda ac augenda Universitate nostra quibuscunque mediis, quacunque occasione, si patriae, si nobis volumus vivere cari. Faxit Deus Optimus Maximus.

Externa vero haec adsignare libuit, ea aestate circa festum divi Jacobi commotio seu expeditio omnium Christianorum in Europa degentium cum Caesare Carolo ac Rege nostro Ferdinando tanta fuerat ad Austriam adversus hostem Turcam, quanta nunquam antea audita est. At perfidissimus Turca suspiciens innumeras Christianorum copias, tum quia impar viribus videbatur, tum quia rei frumentariae inopia, fame, pesteque in exercitibus laborasset, abs obsidione Viennae terga vertit, fugamque maturavit; nostrique itaque re in-

fecta aliquot tamen in excursionibus illis Turcarum millibus caesis, omnes ante Wenceslai in regiones suas redierunt.

Anno a redemptione servatoris nostri Jesu Christi 1534. Mag. Joannis Choticeni, praepositi collegii regis Wenceslai Rectoratus primus.

In quo quidem officio citra omnem spem meam constitutus legitima omnium electorum electione, conspiciens hoc studium nostrum undique collapsum, desolatum, diminutumve, tum in numero Magistrorum, tum baccalaureorum, tum etiam studiosorum, diu mecum saepe tacitusque revolvere occoepi, unde faustius ac felicius huic Universitati nostrae non aliter, quam ruinosae domui occurrere debeam, ut eam pro viribus meis, nullis sudoribus laboribusque parcens, beatiorem nec non locupletiorem in membris nostris reddere valeam. Feci itaque periculum, auspicium sumens a parte praestantiori, quae quasi fundamentum nostrae rei litterariae ac sublevationis habere in sese visa est; nempe numerum Magistrorum perquam exiguum videns hunc prima fronte ante omnia officii nostri negotia adaugere in animo induxi; tentare volens, si equidem meliore omine rem adgrediar, quod efficere praedecessor meus Mag. Georgius Piisensius maximo studio solennique emissa intimatione adnitebatur invitansque omneis, nihil tandem ob quamdam inter sese baccalaureorum discordiam profecisse visus est. At ego ob ipsius malam fortunam tam egregium opus deserere nolens, mox examini Magistrorum circa festum Epiphaniarum Domini manus accinxi et fortuna licet lubrica, varia, inconstans dicatur, tamen minime fefellit: siquidem, quod praedecessori meo denegarat, mihi hos numero quinque baccalaureos quasi in sinum meum effudit; videlicet: Mag. Martinum Zabrensem, Bartholomaeum Pacoviensem, Sigismundum Pragensem, Joannem Coloniensem, Ber-

nardum Pragensem, quos primo, ut moris est, examinavimus diligentissime ac exactissime, demum illico licentiatura donavimus, postremo vero magistrali titulo illustravimus tandem ante omnes Magistros rite salutavimus die Mercurii quae est proxima post festum ...., hora 16.

Praeter haec, eo anno nullae causae, quae vel justitiam vel amicitiam inter membra Universitatis invertant, ad nos pervenere; sed omnes in tranquillitate degentes sine tumultu ac iudiciorum strepitu hunc integrum annum in laudabili pace consumarunt.

Externa vero contingentia in hoc albo adnotare non consueverant majores nostri; nec ego his membranas has onerare vellem, praeter id unicum ac domesticum regni hujus insuetum ac inauditum contingens, quo pacto videlicet omnes status ad vota regiae majestati (sic) pro redimendis bonis regiis, quae a multis temporibus invadiata manent; synodaliter de Berna concluserunt per triennium ita, ut de omnibus mercationibus, negotiationibus, emtionibus, venditionibus, foribus, nundinibus (sic) artificibus et reliquis omnibus circumventionibus saecularibus Berna colligatur, quem admodum plenius supra hac re typis et litteris impressum habetur, quae impressa Berna et modus ejus per totum regnum divulgata est; quem autem finem sortietur, exitus probabit.

Rectoratus secundus Mag. Joannis Choticeni anno Christi 1535,

qui omnium consensu ea potissimum causa mihi commendatus est, postquam coeperim satis accurate cum dominis Prahensibus utriusque civitatis de paedagorum (sic) repulsa agere, qui studium nostrum distrahunt, diminuunt ac pessumdant, ut hanc causam cum consilio mihi adjuncto ad finem usque perducere valeam, quam quidem causam haud

segniter cum omnibus Magistris in praetoriis defendebam usque ad commotionem. Verumtamen post multas rationes ac post multa discrimina ad hoc ventum erat, quod domini Prahenses ex utroque Senatu selectas personas ad tractandum hac de re, nec non de augmento studii exhibuerunt, ut tales personae una nobiscum causas pervestigent diligentissime, quibus hoc studium et si non ad pristinam gloriam, sed saltem ad auctiorem ac locupletiorem numerum devenire possit. Tandem re infecta alius Rector interea electus fuit, sub quo tamen attemptata res est, sed ad finem minime est perducta.

Praeterea licet multas causas inter scholasticos ventilatas habuerim, tamen quia non erant adeo graves, quae posteris exemplo esse possint, ideo huic albo eas inserere non licebat; sed tamen omnes illae causae dissensionesque illorum, seu studiosorum, seu scholasticorum ad pacem et tranquillam mentem more Rectorum consueto deductae per nos sunt.

Mag. Georgii Pisensis

Rectoratus secundus Galli anno Christi 1536.

Item Martinus Pokrywacz e Thabor accusavit Joannem cantorem parvae partis cognomento Czierwenka 5 sexag. Misn. pro quadam tunica emta. Dictus vero cantor rem omnem in Mag. Korambum, abbatem tum Slowaniensem (cujus ambo servitores fuerant) tanquam cautorem ac mediatorem rejiciebat, sacramento sese obstringens, quod nunquam hac tunica potiebatur. Testes auditi sunt utraque ex parte.

Sententia lata est hunc in modum: „Postquam Martinus superstite adhuc abbate nominato hanc rem silentio presserat, nec cantorem interea ad jus nostrum citaverat.

si voluerit Martinus debitum suum in bonis defuncti abbatis querere, jus illi minime denegatur etc."

Item Catharina Lunensis Lisstarzka quemdam Felicem, succentorem tum Brodensium ante Spiritus sancti, ad jus pertraxerat de munusculis quibusdam amatoriis querimoniam faciens, quae pro indicio futuri matrimonii inter ipsos esse debuerant. Verum quia talis causa multum ambigua, remota, incertaque exstiterat, amicabili itaque more simul confecta est etc.

Item ante festum Magdalenae Universitas nostra tota in suis membris duos plebanos antiquae civitatis Pragensis nempe: sacerd. Adalbertum a laeta curia, nec non sacerdotem Paulum a Divo Gallo ad Consistorium citavit, eo quod in articulis certis academiam nostram in concionibus suis temere et insensate furia quadam perciti, communi populo in odium ac fastidium dare, imo denigrare, infamareque attemptaverant, nulla a nobis ansa saltim illis praestita, persuadentes auditoribus suis, nos omneis in hac Universitate esse debere elemosynarios. Sed quia hanc causam dom. administrator cum selectis personis ex Senatu Pragensi utriusque civitatis (voluntate et consensu abs omnibus nobis, multis tum petitionibus, tum mediis consecuti, ne dicta causa judiciali foro et sententia in majorem condemnationem nominatorum plebanorum discutiatur) more arbitrario satis diligenter examinaverat; eapropter tantae commotionis et ratio et conditio in libro Consistorii pro futura rei memoria, materna nostra lingua ab ipsis mediatoribus copiose litteris mandata est etc.

Sensus vero dictorum mediatorum talis fuerat: quod dicti plebani rem temerariam insensatamque adversus Universitatem ex ignorantia privilegiorum ac statutorum perpetrassent; ideo in tanta frequentia ab Universitate gratiam veniamque petierant, quae illis non fuit denegata, ita tamen, quodsi alicui sacerdoti ubicunque, maxime Pragae, si-

mile et audax facinus contigisset, ut omnibus nota mulcta talis plectatur, seu praetoriana, seu abs urbe repulsa etc. Fiat, fiat.

Praeterea istud quoque audax nimium, scelestumque facinus posteris nostris notissimum esse volui, quo bibliothecarum directores in futura semper tempora cautiores ac providentiores exsistant.

Incuria etenim nostra 1536. ante assumptionem deiparae virginis Mariae duo latrones furesque magnum malum fecerunt, in quo deprehensi fuerunt. Alter Joannes baccalaureus Litomysslenus, alter Martinus similiter Litomysslenus, idiota campanator, in collegio regis Wenceslai tum inquilinus; ii duo scelerosi bibliothecam nationis Boëmicae optimis olim exemplaribus locupletissimam, ferme despoliarunt. Nam plus quam a duobus annis furto rapiebant magna et mediocria in pergameno diversorum auctorum volumina. Et quis esse potest securus a latronibus, dum mala machinantur?

Illi enim contendentes intrare solide munitas testudines ex ea parte, ubi hortulus est, cancellum mira arte ferreum perfregerunt, et cum libuit, coadunaverant, quasi non fractum videatur; et sic tali usi astutia, saepius testudines tempore suo intrantes fere incredibile dispendium damnumque in libris pretiosissimis perpetrarunt, quod citra lacrimarum effusionem hic depingi poterit minime. Tandem in tali latrocinio securiores facti, quasi jam nemo sit, qui tam horrendum scelus animadverterit: publice ac libere in foro, cognomento Tarmark, rem totam vetulis credentes, dilaniatos libros per folia vendebant, involutamenta lanarum: na Wobasla. In quorum voluminum numero grande ac insigne opus bibliae deplorate laceratum repertum est, quo indicio adeo immane latrocinium furtumve, simulque latrones furesque in lucem prodiere, qui e vestigio post lamenta, post querimonias correptionesque in carceres Ssatuslaniae sunt conjecti. Martinus vero, quod nobis in libris intulerat, damno minime contentus, jam antea sacri-

legus effectus etiam in sacras aedes saeviebat, ex quibus calices reliquaque ornamenta rapiebat, judaeisque venundabat. Quibus de causis tandem per judices antiquae civitatis Prahensis adjudicatus morti multa post tormenta in loco Calvariae in rogo ligni combustus est, cujus saevissimae poenae Universitas nostra non fuit causa, sed quidam Nerones Canonici castri Pragensis. Nos maluimus, ut rem nostram summa aliqua pecuniae resarciat, redimat, complanet etc.

Baccalaureus vero supra nominatus, quia socio suo in omnibus sceleribus non consentiebat, imo hortabatur, ut cesset, supersedeatque, demum post vincula, post vexationes, sub quibusdam conditionibus liber factus est etc.

1537.

Mag. Joannes Hortensius Pragensis

Lectori S. D.

Etsi nihil adeo memorabile in annum nostrum inciderit, quod posteris exemplo ad imitandum aut fugiendum esset, tamen quae lites et controversiae vel processu forensi vel tractatione amica compositae sedataeque sunt, ne quando male refricarentur, hae mihi in hunc librum consignandae veniunt.

Igitur post obitum Sacerdotis Gregorii Capellani in Wyssegrad quaedam supellex libraria ac vestiaria in Collegio Caesaris remanserat, quam ad se transferre Administrator arcis Pragensis cum Capitolio et Decanus Wyssegradensis conabantur, ea ratione quod is Sacerdos ex eorum ordine esset et ad eorum jurisdictionem pertineret. Sed paulo ante eandem supellectitem M. Joannes Chocenius, D. Georgius Gelecius, D. Paullus Severinus, D. Gregorius e Ponticulo, ac D. Andreas Pellio cives Pragenses certo nomine debitorum arestaverunt. Die itaque controversiae constituta, M. Joanni Chocenio, De

D. Gregorio, D. Andreae Pellioni (cum causam suam rite probassent) ea supellex omnis pro magnitudine crediti inter ipsos parcienda est adjudicata. Reliqui causa ceciderunt. Decanus cum Capitolio frustra hiantes (non tamen sine murmure) discesserunt signanter hoc addentes: Si ea causa in Consistorio nostro peragi deberet, se neutiquam suo jure cessuros fuisse, caeterum autoritati Rect. Univ. in praesens cedere. Sed et D. Georgius Geleczius appellationem primum molitus tandem destitit et jurisdictioni quoque nostrae cessit III. Martii: Porro quae controversia intercesserat Thomae Rect. Scholae D. Nicolai, et reliquis Baccalaureandis cum Cantore ejusdem Scholae de linguae petulantia, hac tractatione amica est composita. Sed quia idem Cantor simili petulantia, convitio quodam perstrinxerat D. Mag. examinatores, ideo verbis *graviter* increpitus, tandem suis et amicorum precibus carcere et vinculis est liberatus XXVII. Septembris. Sigismundus Scholasticus ad D. Egidium autoritate nostra rejectus fuit e contubernio Scholasticorum ob contumaciam. Sed patrocinio Mag. civium et parochianorum, cum gratiam impetrasset, eorum numero est rursus redditus XVIII. Novemb.

Sed ne in hoc magistratu dormisse tamen videremur pro reformando studio istos articulos dignos judicavimus, qui ad conventum omnium ordinum referrentur.

I. Ut privilegia Univ. autoritate regia confirmarentur roburque inconcussum haberent.

II. Ut reditus Univ. jam pridem variis occasionibus accisi, augerentur, providerenturque lectoribus honestiora praemia.

III. Similiter, ut de Scholis particularibus liberalius provideretur, quo tam Rector, quam Scholastici victum haberent commodiorem.

IV. Ut paedagogi (corruptelae ingeniorum) non tantum in urbibus Pragensibus sed ubivis per Bohemiam submoverentur tollerenturque.

V. Ut studiosi ac adscripti ad Univ. ab omni jure profano et dominorum suorum eximerentur.

Isti articuli oblati sunt D. Bernsstaenio, et de Wartenberg ut in ordines referrentur. Sed hi praetextu aliorum negotiorum subpressi sunt. Postremo etsi iniquum petere videbamur tamen id aequum tulimus, quod privilegia Univ. sunt confirmata, aliaque nonnulla ex benignitate Regiae Majestatis utilia scholae addita. Quae deinde confirmatio patrocinio et auxilio amicorum post obitum D. Cancellarii a Vicecancellario aegre L sexag. est redemta.

Hoc anno sacerd. Joanne Pipa vita defuncto Mag. Martinus Glatov. auctoritate privilegiorum pro concionatore Bethlemitico in locum ejus rite est electus XXV. Septembris. Istud postremo loco ceu pro coronide adjecerim, quod honestus et nobilis vir D. Doctor Joannes Frantz a Regio monte, provocatus solo amore litterarum legavit Universitati pro lectore Graecae linguae circiter bis millenos florenos; dignus propterea perenni memoria, utque a nobis inter praecipuos benefactores Universitatis recenseretur.

Anno salutis 1538.

Martinus Glatovinus Bethlemitici

sacelli Concionator, electus in moderatorem Scholae Prahensis inter alia contingentia ac negotia cum consilio suo confecta, haec utpote graviora huic membranae reliquit.

Alterum dominus Benedictus Holecz a Wlkanow, civis Pragensis vocat in jus nostrum studiosos Joannem Sswyk, Laurinum et Wencezlaum Haldecenum, incusans eos nocturni cujusdam sceleris aut impetus in domo sua in famulum illius Cauponem temere facti etc. Ille contra pincerna Martinus causam et vulnus sibi inflictum coram nobis proposuit etc.

Haec igitur omnia pacifice per personas electas inter illos sedata sunt, et collegae per nos puniti. Actum postridie virginis Priscae, alias 19. die Januarii 1539.

Alterum negotium fuit 17. die Februarii, Georgius quidam faber ligneus reverendum M. Joannem Chocenum jure invasit propter 11 sex. Misn. a quodam aedificio in Daubek sibi retentas. Causa igitur et testibus rite examinatis, edictum tandem est 1539. anno Sabbato ante Judica, ut M. Joannes dictus Georgio summam illam in duabus septimanis numeret.

Praeterea anno eo officium Administraturae Cleri nostri renovatum est. Eodem anno in principio autumni Comitiae solennes totius Cleri utriusque speciei celebratae sunt, quae alias videnda relegamus.

1539.

Mag. Joannes Hortensius Pragensis.

Cum inter alia publicae hujus functionis munia istud quoque ad Rectorem Universitatis pertinere videatur, ut Rectores Scholarum particularium in officiis, et studiosos omnes in patriis moribus retineret; itaque ab initio moderaminis nostri omnes convocatos et admonitos habuimus eosque de excessibus, ut vocant, correximus, Rectoribus etiam modum ac ordinem docendi commonstravimus; insuper eosdem serio commonefecimus ut si quos haberent adolescentes in moribus et literis magis excultos, ut eos ad Collegia promoverent, eoque pacto fidem obstrictam Universitati exsolverent bonum et augmentum ejus providendo. Et quemadmodum augere numerum studiosorum voluimus, ita pro libertate privilegiorum insudavimus. Si quidem cantorem D. Nicolai, ob patratum quoddam facinus a D. Pragensibus conjectum in vincula nostro juri asserere

conati sumus, conquerentes in senatu id fieri contra privilegia et pacta vetera inter Universitatem et Senatum urbanum facta, denique non prius destitimus, quam Senatus nobis sit pollicitus, se velle, causa dispecta diligentius, cantorem e carcere emittere, id quod tandem praestitit etc.

Etiam quodam vesperi praetor seu judex urbanus studiosum quemdam detruserat in carceres, ea specie calumniae, quod is nocte intempesta in foro vociferari deprehensus esset, cui etiam rapaculus iste annulum argenteum detraxit; itaque citato praetore ad Senatum acrius cum homine expostulavimus inculcantes, id quoque fieri contra pacta et privilegia; ibi tum Senatum graviter judice increpito mandasse, ut quae ademerat illi studioso eidem statim redderet ac deinceps a simili audacia sibi temperaret.

Controversia de domo medicorum. Paulus, dictus Zák, durus vicinus collegii medicorum haram quandam struxerat, in domo sua in detrimentum collegii, qua de re citatus ad senatum se non tantum id facere potuisse respondit, sed idem collegium ad se pertinere conventione quadam antecessorum suorum asserebat. Tandem testimoniis utrimque productis senatus collegium nostrae jurisdictioni asseruit, et de structura harae ad sexviratum nos ablegavit, cujus Magistratus edicto jussus est pistor haram suam ab muro collegii ad intervallum trium ulnarum submovere.

Actum VIII. Octobris.

Anno a redemptione nostra MDXL.

Ego Magister Georgius Pysensius in Rectorem Universitatis post Galli legitime electus fui. Quamvis multis modis reclamaverim, tamen nihil efficere valui, eo quod quaedam spes omnium animis inhaerebat de futuro magistrali examine in artibus et philosophia, cui me satisfacturum censebant.

In initio Rectoratus omnia membra pace ac concordia

gaudere perspexi, dempto quodam cantore a Laeta Curia Bartholomeo, qui post festa Epiphaniarum evocavit ad jus Joannem Succentorem natione Brodensem, objiciens eidem furtum in rebus suis: nam tum simul in Laeta Curia morabantur: et furtum ponderabat penes suam opinionem VIII sex. Misnens.

Verum tamen, quia talis causa in quibusdam levissimis opinionibus pendere deprehensa est, tum a judicibus, tum ab amicis utriusque partis petierunt omnes, ut amicabili potius more res tota conficeretur, utque nominatae suprà personae in honore ac bona fama permanerent. Ideo amici utraque ex parte ne cantor damnum pati videretur, sua sponte inter se IV sex. Misn. collegerunt, quas cantor ille non ingrato animo cum gratiarum actione accepit.

Demum circa Angarias Spiritus sancti examen Magisterii in artibus et philosophia omnium consensu, more hujus academiae consueto promulgatum est, ad quod aliquot eruditae e Baccalaureis personae confluxerunt, numero istae: nempe Felix Chlumecenus presbyter, Wenceslaus Altomitenus, Joannes Orpheus Zatecenus, Andreas Philo Prahenus, Jacobus Grecenus, Joannes Chyba Curimenus, Joannes Ssentygar Hwozdianus, Jacobus Rokezanus, Joannes Cunstat Prahenus. Ego vero tam grande negotium aggredi, perficereque non valens ob tormenta podagrae, quae illis diebus me excruciaverat precibus meis penes statuta vicerectorem Universitatis comparavi Magistrum Joannem Zahradka cognomento, qui ad mea vota facilem se gerens rem ordine omnem tum in tentamine tum examine accurate, et feliciter consumavit, ac dictas personas ad dignitatem magistralem promovit, evexit, sublimavit.

Etsi plures causae inter Baccalaureos et cives, ac pincernas ventilabantur coram judicio nostro: tamen omnes illae, quia levioris ponderis exstiterant partim castigatione, partim amicabili more in bonam gratiam compositae, redactaeque sunt.

Iterum anno veri Messiae 1541.

Martinus Glatovinus Bethleemiticus, divi Apollinaris Decanus, onere administraturae deposito in Rectorem studii legitime substituitur. Quo anno pluribus agitabamur molestiis. Si quidem post incendia plurima dolis acta postquam deploratissimam celeberrimae arcis ac minoris civitatis Pragensis exustionem nihil nisi fraudes, bella, pestis, violentum denique Judaeorum exilium auditur. Sed ante haec numerus Magistrorum augetur novem personis idoneis corona magistrali insignitis, quorum nomina: Felix Chlumecenus presbyter, Wenceslaus Altomitenus, Joannes Orpheus Zatecenus, Andreas Philo Prahenus, Jacobus Hradecenus, Joannes Chyba Curimenus, Joannes Ssentigar Hwozdianus, Jacobus Rokycanus, Joannes Cunstat Prahenus. Dominico die post Martini Zácae vulgus invadit ac spoliat Judeos. Tandem paucis exactis diebus Lutomiricii et Rudnicii simile contigit. Pragae pericula diu noctuque augentur. Judei armato milite non sine tremore custodiuntur. Zatenses cum Lutomiricensibus a regia majestate citati carcere et re pecuniaria plectuntur. Judei tandem omnes exceptis certis personis circa ferias Georgii Pragam et Boëmiam linquere coguntur moestique exire. Caesar Turcarum Ungariam devastare Buda etiam capta non cessat. Cui principes imperii cum suis militibus resistere volentes hoc anno permissione divina vacui redeunt et plures illorum infirmi, plures Pannoniae aut in reditu mortui hoste etiam non viso. Ecce peccata patrum et nostra, ecce flagellum domini.

Pestis in aestate maxima et repentina per totam fere Bohemiam saeviens populum multum et, quod magis dolendum, viros egregios plures insperate nobis abstulit.

Cum quibus Magistri 5 desiderantur, scilicet: Georgius Kluczowsky, Joannes Carolus Zluticenus, Martinus Zabrzehenus, Joannes Orpheus Zatecenus et Jacobus Hratecenus. Et ita jus nostrum quoque inter arma domini pestilentica siluit.

Unicum adhuc summe necessarium posteritati relinquendum statui. Negotium Universitatis cum dominis Pragensibus, quod erat de ultimo testamento egregii viri deque nostra schola bene meriti doctoris Joannis Frantz etc. quo summam certam nempe 1000 sexag. gross. Pragens. Universitati huic pro lectore aut lectoribus Graecis certa conditione commisit aut legavit. Cum igitur M. Mathaeus Collinus et M. Wenceslaus Arpinus ex Witteberga cum merce litteraria evocati redierunt, licet principio ad facultatem recepti negotiis facultatis secundum leges facultatis et domus Karoli subesse recusáverint: at re tandem amice sopita, et illis iterum rite ad facultatem receptis ac tandem secundum extremam voluntatem boni illius viri, doctoris jam nominati pro lectoribus electis certus usus summae praetactae certis sub conditionibus numeratur.

Quo pacto autem in posterum res illa exactius provisa sit et firmata, Litterae senatus antiquae urbis Pragensis, pactum ejusmodi cum Universitate plenarie continentes cum sigillo eorum ostendunt apertissime. Earum litterarum exemplar istis quoque subscribere non videbatur inutile.

Przipis peczietieny Smlauwy ocziеny Prazskeho s pany Praziany Staryho miesta O Rzeczkyho lektora.

My Purgmistr a Radda starssy obeczny y gmenem wssy obcze stareho miesta prazskeho. A my Rector, Diekan, Mistrzy, Backalarzi, Studenti y wsseczka Universitas vczieny Prazskeho, znamo czinime nassim timto listem wssem wubecz y gednomu kazdemu kdoz gey czisti bude neb cztuczy slyssieti bude, zie sme mezi sebau przatelske snessieny a dobrowolnu a dokonalu smluwu vczinili; a to wtom kdež podle znieny kssaftu niekdy

pana Jana Ffrancze Doctora z kralowske hory dobre pamieti miel gest byl dum w starem miestie Prazskem genž slowe Gednorozczuw kaupen byti aby wniem Rzeczkym gazykem k prospiechu mladenczuo cztena wubecz byla Ilias Homeri, a z tehoz domu tomu lektorowi aby plath wychazel na kteryžby ziw byl etc. tak gakž tyž kssaft sam w sobie ssirze swiedczy a vkazuge.

Y poniewadž tyž dum naprzed gmenowany nebyl gest, a po dnes neny na prodagi w slussne cenie a w slussnych peniezych, zie my s pocziatku psany Purgmistr a Radda y starssy gmenem wssi obce Stareho miesta Prazskeho obmeysslegicze aby gedno vczieny Prazske stati tim lepe a rozmahati se mohlo, a tak wuole a žadost swrchu gmenowaneho pana Jana Ffrancze Doktora aby se wykonala, a take gakž gest y niektera Summa peniez za nami tehož Ffrancze Doktora, za kteruzby ten dum miel kaupen byti zustala, misto tie Summy mame a powinni sme do vczieny Prazskeho lektoru neb lektorum kterzizby k takowe lekczy zpusobem dole psanym woleni byli, przedkem nyniegssim y budauczym platu roczniho wydawati cztirzidczeti a piet kop grossuw wssie czieskych budaucznie a wiecznie; a to též dskami zemskymi na Statku pozemskem swobodnem nezawadnem przedewssemi ginymi vgistiti a zapsati, totižto na wsy nassy diedignė rzeczienė Sazenem s diedinami, s lukami, lesy, potoky, winiczemi y sewssym przislussenstwym, czož mame; tak aby swrchu psany plath tiech cztirzidczeti piet kop grossuw czieskych od nas wydawan byl lektoru neb lektorum swrchu psanym každy rok rozdylnie, totiž na Swateho Girzy po dany tohoto listu nayprwe przisstyho pocznucze pul trzimeczytmy kopy grossuw czieskych, a na Sho: Hawla y hned potom buduczyho tolikež; —— a tak y gina wssezka budauczy letha porzadnie bezewsseho zadrziowany.

Paklibychom my wyss psany Purgmistr a Radda starssy y wsseczka obecz Stareho miesta Prazskeho nyniegssy y budauczy takoweho plathu Cztirzidczeti pieti kop grossuw czieskych tak a na ty cziasy rozdilnie neplatili gak se przedpisuge; tehdy lektor neb lektores przeddotczieny, a neb kdyzby tiech bezelstnie yak se nizie pissie nebylo, tehdy Rektor Universitatis nyniegssy neb budauczy budau podle znieny desk komornikem se moczy vwazati w swrchu psanu wes Sazeney w diediny, lesy, luky, potoky, winicze y se wssy zwoly; a to drzieti i toho vziwati dotud dokudbychom plathu toho nebo plathuw zadrzialych tymz lektorum aneb lektoru a neb take Rektorowi Universitatis nedali sewssemi sskodami a naklady proto wzesslymi, a to bezewssy nassy y budauczych nassich wsselike przekazky. A gestli zieby prawa pak nessla, a neb kdy nieyaka swolenij zemska byla, a nebo walka w zemi, proto my swrchu psany Prazyane mame y slibugem z swe komory takowy plat wydawati, sobie w tom nicz ku pomoczi gakymkoli zpusobem wymysslenym neberucze. Též, gestli zie swrchu psana wes sessla by, tehdy w gine wsy nassy w kterekoli budu se moczy tyz lektor neb lektorowe a neb Rektor Universitatis vwazati a to bez nassy odpornosti wsseliyake yakz se swrchu pissie.

Czoz se pak toho lektora a neb lektoruw gednani dotyczie a woleny, takto sme se my s poczialku psanė strany snesly a srownali pro zachowany pokoge, lasky a buduczyho przatelstwy kdyzby koli neb kolikrat koli toho lektora neb lektoruw woleny potrzeby bylo: Zie Rektor vczieny Prazskeho ma k sobie grzigiti Diekana a gina dwa mistry a neb doktory spolu raddny swe: tak aby kromie Rektora vczieny Prazskeho trzi osoby mistrzi a neb doktorzi k tomu woleny od Rektora vczieny Prazskeho obeslany byli. A tyž Rektor Universitatis ma bezewsseho prodlewany do raddy Stareho miesta Prazskeho panu Purgmistru oznamiti aby k tomu woleny lektora neb lektoruw trzi osoby z raddy k niemu wyslany a woleny

byly. A tu osoby przedepsane magi a powinni budau takowelio lektora a neb lektory dostatecznie se nanie wyplagicz a s wietssim poczlem gedna každa strana roznluwicz bez odtahuw wiernie vprzimie w powolnosti przatelske woliti a podle te hodnosty kteryzby se k te leckzy hodil Iliada Homeri y k ginym dobrze hodili mohl; a Rektor Universitatis podle porzadku a obycziege vczieny Prazskeho ma mezy tiemi osobami k woleny oznamenymi prostrzedkowati a zawirati. Tez take na snessieny tychž wolenzuw ma byti czož kazdemu z tiech lektoruw podle hodnosti z tiech platluw dawano mielo by byti, k tomu gestliby od kteroho toho lektora hodna prziczina dana byla, aby ho tyž woleneczy toho beneficium zbawili a gineho woliti mohli.

Ty pak zwoleny lektores przedkem magy a powinni budau w porzadek vczieny Prazskeho podle obycziege wstupiti Rektoru a Diekanu poddani a poslussni podle statut byti y wsselikterak ginak se chowati chwalitebnie rownie, yako ktera gina osoba w temž vczieny.

Czož se pak lekezy dotyczie magi prwotnie Rzeczkym gazykem Homeri Iliada czisti a k tomu y gine Autory Rzeczke y latinske wssak swiedomosti a powoleny Diekana podle porzadku artium facultatis. Byt pak take neb misto k bytu magy a budau moczy w ktere kolegi koli sobie obrati wssak bez ugmy tychž kolegii obywateluw. A aby oto s nimi nebo s tiemi gednali, kterymzby ta kolege k zprawowany naleziela, a s nimi nebo s nim o tyz byt y o strawu, acz by gi tu take miti chtieli, se vrownali za swe penyze. A poniewadz by swu zwlasstny zaplatu mieli nemagy a nebudu moczy se potahowati a vziwati zadnych ginych duochoduw a prebend Universitatis vczieny Prazskeho.

Take i na tomto sme se snesli strany wyss psane, gestli zie by se niekdy bezelstnie to przihodilo zie by lektor neb lektores rzeczssty vptani a zgednani byti nemohli, tehdy od przed gmenowanych woleneczuo na to misto zpusobem na

horze dotczienym magi se zwoliti kterziz by misto rzeczkeho gazyku latinske auktory cztli a uczili latinie. A tomu lektoru neb tiem lektorum wolenym plath przdepsanym zpusobem wydawan byti ma; než kdyzby se zase wyhledal lektor neb lektores rzeczssty a to wyhledany naywicze a naydyle stati ma do roka nemohloliby prwe byti. A kdyz by se wyhledali ti rzeczssty tehdy ti latinsstj lektores nadalssi czias toho plathu cziasto psaneho poziwati nemagy ani ho gim Purgmistr a radda etc. swrchu psany wydawati powinni nebudu mimo to czoz na ten czias tau praczy do wywoleny rzeczkeho lektora zaslauzili než ad prebendam Universitatis zase przigati a przipusstieni byti magy rzadnie. Dale y s tauto take wyminkau gestli zie by kdy lektor neb lektores Rzeczssty ani Latinssty bezelstnie a bezewssieho obmyslu nagiti se nemohli proto wzdy takowy plath Ctirzidczeti piet kop grossuw wsse czeskych wyss dotczienych ma wydawan byti, a to ad fiscum facultatis, tak aby w gistem mistie tu in fisco facultatis skladan byl a chowan s tym opatrzenym aby przedgmenowany wolenczy gedni bez druhych tim nehybali nikterakcz a k tomu nemohli do zase optany Lektoruw Rzeczkych a neb latinskych tak gakzby o tom pokladu potomnie od obogich stran przedepsanych snessieno bylo.

Czoz se pak knich po tiemž panu Doktoru dotyczie dany magy byti do biblioteky welike kelege, a z nich kdoby sobie z mistruow kteree a przedkem ten lektor neb lektorowe k swe potrzebie wzyti chtieli, magy se podle obycziege w Reystra zapsati, a kdyzby gich nepotrzebowali zase wloziti. Kdežto wsseczko czoz se swrchu pisse mame mi swrchu psane strany geden kazdy artykul wiernie prawie a vprzimie y krzestiansky sobie zdrzieti nyni a na cziasy buduczy tak yako dobrym a cztnym nalezy. A tato Smlauwa ma byti bez ugmy prywilegy wssech a wsselikterakych sprawedlnosty gedně každe strany na potwrzeny a tiech wssech wieczy swrchu psanych na zdrzieny a swiedomy.

My przedepsany Purgmistr a Radda Starssy obeczny gmenem wssy obcze pecziet menssy miesta nasseho; A my Rektor Universitatis na mistie vczieny Prazskeho pecziet tehoz vczieny dali sme przitisknuti k tomuto listu smluwnymu. A pro lepssy toho gistotu y buduczy pamiet my swrchu psane strany uczinili gsme mezy sebau dwa listy Smluwny, kdež gedna každa strana z nas, ma geden przipeczietieny a w gednostayna slowa psany. Stalo se w patek den Swate panny Katherziny. Letha od Narozeny Syna Bozyho, Tisicziho pietisteho czirzidczateho prwniho.

M. Henricus Curius ab Helfenberk
Senior domus Carolinae.

Anno Domini 1542. postridie S. Galli electus est Rector Universitatis. Hoc anno Mag. Joannes ab Albis aquilis non contemnenda eruditione praeditus, cum luculenter et abunde se esse Magistrum artium Academiae Wittebergensis literis sub sigillo Facultatis ejusdem scholae sibi datis probasset ac omnibus illis, quae a statutis nostris praescribuntur, satisfecisset: Deinde 20. Septemb. in consortium Magistrorum Facultatis artium est receptus. Sequenti anno 1543. Aug. 25 Ferdinandus Rex suscepta adversus Turcam expeditione Praga ad horam 15. exit, contendens in Pannoniam suo cum exercitu in quo Proceres nobiles virique equestres cum domestici tum peregrini fuerunt plurimi.

Per id tempus Pragae a senatu Ecclesiastico ad placandam Divini Numinis iram, proque felici et fortunato ejus belli successu decretae sunt, una cum jejunio praeces publicae et Litaniae per templa Boëmicarum Ecclesiarum statutis diebus et horis nimirum pomeridianis ad impulsum campanarum dicendae atque decantandae.

Idem M. Henricus Curius ab Helfenberk
Senior domus Carolinae.

Anno Christi Salvatoris nostri 1543. die consueto iterum Rector Universitatis eligitur. Eodem anno 16. Novemb. M. Briccius a Liczko rebus humanis exemtus est, cujus inter caetera ingenii et scriptorum monumenta exstat opus seu volumen legum sive constitutionum, quibus et Pragensis et aliae per Boëmiam urbium sunt usae Respub. Sequenti anno 1544. Jan. 3. Doctor Venceslaus praedicator in fano ante laetam Curiam, quam ita vocant, custodiae mandatur. Eodem anno 24. Jan. magna fuit Eclipsis solis, ita, ut ab omnibus cum quadam admiratione spectaretur. Contigitque hoc anno, quod rarum est, triplex Eclipsis lunae. Hoc anno ingens copia locustarum in nonnullis regionibus Boëmiae catervatim volantium apparuit. Et in quibusdam Locis (ut audivimus) tanta earum multitudo fuit, ut sua densitate tantum non lumen Solis interceperint et quaecumque delapsae sunt in terram, ibi segetes, arborum folia, nec non alios campestres fructus devastarunt. Quare diligentiores rustici sonitu eas e suis fundis depellebant: Si qui vero id neglexerunt magno incommodo in percipiendis fructibus a turpi insecto affecti sunt.

Idem M. Henricus Curius ab Helfenberk.

Anno a Christo nato 1544. die statutis praescripto tertium electus est Rector Academiae. Eodem anno 19. Decemb. non parva controversia inter Magistros Universitatis Pragensis et M. Nicolaum Ssud a Semanina exorta, et per senatum antiquae urbis Pragensis tanquam supremos arbitros composita et pacata. Cujus sententiae exemplar Rectori a D. D. Pragensibus dari debet. Sequenti anno 1545. Jan. 19. Sebastianus Aerichalkus Praesticenus Vitebergensis Academiae Magister petiit recipi in Consortium. M. Facultatis artium Univer-

sitatis nostrae. Ad cujus vota et intercessionem amicorum ipsius, antequam responsum datum est, lecta sunt illi statuta facultatis de recipiendis illis, qui in aliis Universitatibus promoventur, qui auditis statutis promisit, se ita ut praescribunt facturum. Tandem data est illi quaestio ad quam ipse Decano infra spatium 10 dierum publice responderet, quod tandem 30. Januarii praestitit et docte copiose atque habita ratione loci et personarum respondit.

Septima vero Feb. idem M. Sebastianus duas propositiones publice pro consuetudine scholae Pragensis disputavit. Hac absuluta legit librum 1 Ethicorum docte et methodice, sub finem vero lectionis pertractavit duas quaestiones ingeniose et ut philosophiae professorem decuit. Postremo 2. Martii in numerum Professorum artium seu ad facultatem est receptus, et promisit bona fide statuta, et statuenda servare. Eodem die M. Joannes Choczenius professor in academia Pragensi et praep. Coll. reg. Vencesilai alias Caesarei vir in rebus politicis gnarus, et non mediocriter in foro versatus post Consul veteris urbis circiter horam 21. ex hac vita decessit. Sepultus in aede B. Mariae virginis ante laetam Curiam; typos impressorios Academiae Pragensi legavit et Chronicon presbyteri Bohuslawi Boëmicum in inclyta imperii urbe Noriberga suis sumtibus imprimi inque publicam lucem et lectorum usum edi curavit. Eodem anno 17. April. alias diem reliquiarum M. Georgius Piscenus praepos. Coll. omnium Sanctorum obiit, qui multis labores Universitatis et facultatis artium tulit ut codices rationarii Collegiorum item libri facultatis ac Universitatis testantur. In cujus locum 21. April. secundum statuta ac veterem consuetudinem electus est praepos. ejusdem Collegii Gregorius Orinus a Choczenic Pragenus artium et philosophiae in academia Ferrariensi doctor creatus, atque a praeposito ac venerabili Collegio Caroli IV. invictissimi Imperatoris patris patriae, introductus. Eodem anno Sabbato ante ferias D. Joannis Baptistae

apertum est examen pro gradu Magisterii in Philosophia, in quo comparuerunt VIII eruditi Baccalaurei, videl. Mathias Curius Dapsilis. Mathias Stephanides Bydžovinus, Gallus Gelastus Vodnianus, Joannes Artophidius Thynahorssovinus, Venceslaus Vodnianus, Joannes Zahrobinus, Nikodemus Chotieboriuus, Gabriel Svěchinus, ambo a Paumberga, Victorinus Rhombus Piscenus licet cum istis non comparuerit, tamen deinde est receptus. Cui omnes proximo die Jovis per me Rectorem Vicecancellarium studii Pragensis et alios R. M. examinatores sunt rite tentati et examinati. Quod negotium tandem Sabbatho ante S. Margarethae Virginis est finitum, atque Deo gratiae sunt actae. Dominis autem examinatis receptio delata est ad proximum diem Martis, quia die Solis primae vesperae et matutinae atque die lunae exsequiae sereniss. D. D. Elisabethae reginae Poloniae ubique per Pragam ex mandato sereniss. ac potentissimi Hungariae et Boh. Regis D. D. Ferdinandi patris illius sunt celebratae. 17. vero Aug. nominatim supra positi D. Licentiandi licentiam in artibus liberalibus et philosophia praesente magna frequentia studiosae juventutis sunt consequuti. Deinde saepe nominati D. Licentiati a me Rectore et Vicecancellario studii Pragensis titulo Magisterii cum solenni pompa insigniti.

M. Joannes Hortensius Prahenus Praepositus Collegii Regis Wenceslai.

Anno salutiferi partus 1545. postridie S. Galli tertium Rector Academiae electus est, sub cujus regimine sequenti anno 1546. causa satis insolens et gravis fuit inter Casparum Cantorem et Joannem Orpheum, Rectorem scholae Nymburgensis. Nam Cantor partim furore partim ebrietate concitus, contra fas et aequum insurrexerat contra Rectorem ac majorem suum et inter luctandum, accepto quodam cultello

eundem Rectorem ac fratrem ejus opem Rectori et fratri ferentem faciem et scapulas cruentaverat foderatque, imo si conatus vires suppetissent etiam interficere utrumque conabatur, nisi cultellus cuspide et acie obtusiore fuisset, quam ut tale facinus commode peragi posset. Ob quod facinus Cantor a Nymburgensibus merito in vincula est raptus et conjectus. Tandem postulantibus nobis et nostrum jus asserere volentibus idem cantor nostro juri est praesentatus, et die actioni constituta diffisus causae suae ad praeces et lacrimas confugit et a nobis et Rectore suo id impetravit (rejiciens culpam in temulentiam et Satanam, cujus furore impulsus fuisset, cum ante nunquam id cogitasset), ut per amicos arbitros lis et controversia sine strepitu judiciali in hunc modum componeretur. Quod idem Casparus Cantor omnes impensas, quascumque vulnerati ab ipso fecerunt, in chirurgos solvere debet, et rogare supplex veniam, et posthac nec ullo verbo aut facto per se aut per amicos propterea, quod vinculis graviter et impensis fuerit cöercitus, memoriam ejus rei refricaret, sed omni officio deinde et opera utrumque studeat demereri, et quodcumque poenis tandem illi pro isto facinore imponeretur, ut grato animo subiret et toleraret. Id quod ille gratissimo animo suscepit, et coram testatus est etiam cum lacrimis et fidejussores super hac re statuit duos: Joannem Notarium Nymburgensem circa vectigalia et reditus, et Thomam quemdam dictum Kurka etiam Nymburgensem. Tandem in vincula ire jussus, opera et intercessione amicorum, postquam septem dies in vinculis desedisset, iisdem vinculis etiam liberatus est, et data manu pollicitus, se quicquid perpessus est, consulturum, et nec in quoquam vindicaturum. Huic causae adfuerunt ex D. Pragensibus D. Venceslaus ab Iride et D. Venceslaus dictus Papilio. Actum 27. Martii.

Eodem anno egregius atque eruditus juvenis M. Adamus Vodiczka Zatecenus, qui cum per aliquod tempus in

Lipsensi, deinde per annos plures in Vitebergensi schola non sine laude literis et philosophiae operam dedisset, tandem in eadem Vitebergensi schola suae virtutis praemium titulum Magisterii consequutus est. Atque mox in patriam reversus cum testimonium sui tituli exhibuisset, et omnibus his, quae legibus et statutis nostrae Universitatis praescribuntur, satisfecisset, tandem a senatu nostrae scholae dignus judicatus est, qui in numerum Magistrorum facultatis artium reciperetur: quod deinde 4. Maji factum est. Eodem anno Venceslaus Baccalaureus, Rector Slanensis, accusatus fuit pollutae et vitiatae cujusdam puellae Slanensis, et cum ad nostrum jus provocasset, impetrare tamen a Slanensibus etiam patrocinio nostro, et D. Officialis Jacobi Fikra Wratt. non potuit, ut nostro juri, ad quod provocaverat, sisteretur. Interea tamen ille circa ferias Georgii Slana excessit, et recturam ad D. Stephanum nostro consensu recepit. Ad extremum cum stare judicio Slanensium coactus esset, tamen respondere ad accusationem actoris noluisset, in vincula est conjectus. Sed nos quo jus nostrum ab importunitate Slanensium et auctoritatem Rectoris in membra Universitatis defenderemus, sollicitavimus amicos et literas a D. Judicii Cameratici in loco supremi D. Magistri Curiae et DD. Pragensibus impetravimus, quibus mandabatur Slanensibus auctoritate D. Magistri Curiae regni Bohemiae, ut eum vinculis et a fidejussoribus liberum facerent, et nostro juri, quod appellavit, sisterent. Sed nec valuit id mandatum Dominorum, nec consilium Pragensium, quin in vinculis a Slanensibus retineretur. Tandem detulimus eam rem ad D. Subcamerarium regni Boëmiae et conquesti coram eo de importunitate Slanensium, impertravimus similiter ab eo literas, quibus auctoritate sua mandavit Slanensibus, ut eum vinculis emanciparent, simul datis literis nostris ad Rectorem tum temporis Slanensem, quibus eum citavimus, ut cum coad-

jutoribus suis Pragam veniret. Quo facto comparuit is una cum Cantore, ibi tum in communi congregatione D. Magistrorum mandatum est ei, ut ne se cuiquam fide adstringeret, aut aliquid polliceretur, sed ut domum rediret, et si quid deinde a nobis illi fuerit injunctum et mandatum, una cum coadjutoribus et scholasticis suis et interea diligenter inquireret, quinam scholastici ejus sint, aut non sint intitulati, id agitet, videlicet ut Slanensibus innotesceret, quid facere velimus, si tam feroces sicut illi fuissemus, ut eum emitterent e vinculis. Id quod factum quidem est, sed non simpliciter. Slanenses enim eum retinere cum non possent, data manu eum de fide adstringunt, ut quandocunque illi significatum fuerit, apud eos compareat. Postremo, cum non satis nobis videretur ea lege emissum, ut coram jure eorum responderet: impetravimus a D. Magistro Curiae citationem, qua citavimus eosdem Slanenses de violatione Privilegiorum et juris nostri, ut interea eum fide solverent, et nostro juri sisterent; id quod tandem evenit, ut Slanenses inter saxum et aras collocati, inviti auctoritate D. Magistri Curiae et judicii Cameratici cesserint, et ad mandatum D. Magistri Curiae eum fide exsolverint, cum antea ad 11 dies in vinculis Slanae in turri custodiae detentus fuisset. Id quod actum fuit cum eo diebus Maji 26. et Junii 8. Et quia a citatione quater sex. dare coacti sumus, ideo a singulis Collegiis in commune dedimus 50 gross. Misn. ut pro tabellariis et aliis necessariis in eadem causa sufficeret.

Praeterea etiam successor ejus Rector Scholae cum officialibas his literis ad eum datis evocatus est: scito nos contumeliam hanc, quae Venceslauo Baccalaureo praedecessori tuo a Slanensibus occasione ejusdam mulierculae facta est, gravissime ferre, et multo magis contemtum privilegiorum et juris Universitatis nostrae, quae illi cum religiose colere et defendere debeant, tamquam communem thesaurum omnium civitatum, tamen iniquissime elevant et fere pro ridiculo habent: digni propterea ut perpetua memoria ingratitudinis no-

tarentur. Si te ergo haec contumelia permovet, sicuti debet, quoniam, ne tibi idem aliisque aliquando accidat providemus, debes omnino nobiscum condolere, et speratum lucellum prae- insperata et immerita hac contumelia contemnere, et susque deque habere. Quare te hinc et coadjutores tuos evocamus et serio monemus, ut adjunctis tibi his, quos obstrictos sacramento nostro studio habes, Pragam ad nos primo quoque tempore advoles, auditurus ea a D. Magistris, quae ad bonum et honestum Academiae et tuum commodum pertineant. Sic facito memor tui promissi Universitati et nobis dati. Datae die Bonifacii. Tandem is die Solis cum Venceslao Baccalaureo vincto venit, ex quo intelleximus, Slanenses perterritos invitos eum emancipasse vinculis, ne hac occasione schola illorum dilaberetur.

Eodem anno cruentum et luctuosum bellum inter Imperatorem Carolum ejus nominis Quintum etc. et Electorem Saxoniae Joannem Fridericum ac Philippum Landgravium Hessorum exarsit. Causae hujus belli variae ferebantur. Imperator objiciebat principibus inobedientiam erga se et Imperium in multis rebus. Et contra Principes se excusabant publice editis scriptis, se nihil unquam tale comisisse, et petebant hac de re legibus et judicio discerni, addentes Imperatorem nulla alia de causa bellum movisse, quam delendae doctrinae Evangelicae. Itaque Imperator excommunicavit eos, bellumque cum eis varia fortuna gessit. Principes cum suo exercitu ad Nerlingam occurrerunt Caesari, ibique castra posuerunt, ut essent viciniores Ulmae et Augustae civitatibus, a quibus contra Imperatorem pecunia et aliis rebus ad bellum necessariis vitiabantur. Vario Marte ibi res gestae sunt, numquam justa acie dimicatum est, velitationes quaedam erant, in quibus tamen magna pars hominum interfecta est, inde alia atque alia castrorum loca occupabant principes et plerasque civitates oppugnabant. Et ut undique premerentur, datum est negotium Mariae quondam uxori Regis Ludovici et sorori Imperatoris,

ut ipsa invaderet, ditionem Landgravii; interim et Mauricius dux Mysniae jussu Imperatoris et consensu Saxoniam, ditionem Electoris patrui sui, invasit. Pragae comitia circa festum S. Jacobi celebrabantur, in quibus decretum est, ut exercitus ad tuendos fines Boëmiae mitteretur. Quod sane factum est, ac exercitus ille, cui D. Sebastianus a Weitmil praefuit, ad Cadanam convenit. Renovata tunc quoque sunt foedera haereditaria cum Principe Mauricio, quae res ingentium motuum postea causa extitit. Circa idem tempus Regia M. curavit, aliquot tormenta satis magna Vienna advehi, ac ad exercitum transmitti, quibus 1200, ut ferebatur, milites germani adjuncti erant. Non multo post per Boëmiam homines feri, gens Scythica, horribilis aspectu, quos Hussaros vocant, ad id bellum profecti sunt; ad 1500 erant, inter quos multi non paucos Turcas fuisse suspicabantur. Hi magnis cladibus affecerunt et Saxoniam et Mysniam. Ac in autumno circa ferias omnium Sanctorum fuderunt exercitum Electoris in Fogtlandia, qui fines hujus ditionis tuebatur, ut ex eo alii 200, alii 1000, alii 8000, aut 500 cecidisse dicunt. Dum haec agebantur, ac totus jam exercitus Boëmorum ad Cadanam convenisset, R. M. in hoc sedulo incumbebat, ut posset per montes traduci, ac tandem cum principe Mauricio Saxoniam, cujus incolis etiam per D. a Weitmil bellum nomine R. indictum est, invadere, et Mauricio subjicere. Sed parum est effectum: nam major pars exercitus paulo post domum rediit, quae res R. M. vehementer commovit, ob quam non pauci tandem puniti sunt. Interea Princeps Mauricius cum Hussaris, et suo exercitu civitates Electoris vi capiebat. Hunc miserrimum statum Germaniae portendebant praecedentium annorum Cometae et Ecclipses. Nam anno 1544 die 24. Jan. pene totalis Ecclipsis lunae fuit. Sequenti anno tres defectus luminarium erant.

Eodem anno ingens copia locustarum plane horribili aspectu et forma circa Thabor et in aliis locis, praesertim autem, qua itur Cadanam, Chomudovium, Vallem Joachimicam,

et transcenduntur montes, dividentes Boëmiam a Mysnia, ferebatur, in quocumque loco consedisset, omnia germinantia absumens. Visae sunt similes locustae in quibusdam locis Saxoniae et Mysniae.

Eodem anno die Solis ante Francisci amica tentatione tentatum est cum Martino Gutteno et Paulo Żak civibus veteris urbis Pragensis, mediante D. Jacobo Picav, officiali Curiae et M. Thoma a Jaworczicz. Erant (sic) enim nobis lis cum illis de 2000 sexagenis, quas illi nos accepisse post obitum Chalupae in pago Michel ajebant. Sed nullus tum temporis sequutus est, tandem die Lunae post Dionysii elegimus M. Venceslaum Flavinium pro Universitatis procuratore, et pro laboribus exactis defalcavimus illi ex debitis 15 sex. et stipendium annuum dare illi conveniens debemus, ut Universitatis causas ageret.

M. Gregorius Orinus a Chocemicz Prahenus

in Academia Ferrariensi artium philosophiae creatus Doctor, praepositus Collegii omnium Sanctorum alias Angelici.

Anno Virginei partus 1546. postridie S. Galli Rector Academiae eligitur. Hunc annum Universitas Pragensis sensit satis gravem et molestum, dum improba illa Ate, quae jam ab aliquot annis praecedentibus turbare multis modis ejus statum non desiit, praeter cetera mala etiam adversarios, qui bona quaedam Collegii Rejiczek in pago Michel, nescio quo jure ad se pertinere contendunt, contra eam exicando (sic, forsan excitando) nondum conquieverat, atque effecerat ut saepius neglectis et privatis nostris et publicis negotiis, praesertim quod ad docendam juventutem pertinet, forensibus negotiis immisceremur, saepiusque ad tribunal in Curia regni hujus vocati comparasse (?) cogeremur, quam pestem utinam jam tandem Deus optimus maximus a nobis longissime removeat, ut haec Schola nostra in statu meliori aliquando constituta sua

felicitate et pace gaudere ac optatam salutem ex sese propagare in usum Ecclesiae et Reipublicae possit.

Anno sequenti 1547. Jan. 27. feria 6. ante diluculum post puerperium obiit Sereniss. Regina ac D. D. Anna in sacro Baptismo appellata Elisabetha Vladislai ejus nominis II. Hungariae Boëmiaeque Regis filia, Ludovici soror, augustiss. Rom. Hungariae et Boëmiae tum Regis Ferdinandi conjunx viduarum orphanorum aliarumque miserabilium personarum patrona atque mater pientissima. Exegit cum D. Ferdinando conjuge annos 26, vixit annos 44.

Eodem anno magna (?) fuit Eclipsis Lunae, post altera Lunae quoque, tertia Solis eodem anno, qui eas obscurationes et deliquia luminum coelestium, utpote certissima oracula consequuti sint effectus, notius esse putamus, quam ut hic referatur.

Eodem anno 1547. Dux Saxoniae cum suo exercitu domum rediens, cum fere totam ditionem amisisset, Principis Mauricii terram armis occupare coepit, ac Lipsiam oppugnavit. Interea R. M. mandatum, quo gravissimis comminationibus propositis omnes status regni Boëmiae cogebat ad ferendum auxilium juxta haereditaria foedera Principi Mauricio, locumque, in quem intra paucos dies deberent, praescripsit, urbem Lythomerzicium, die Jovis h. e. 27. die Januarii vel potius nocte, quae praecedit diem Jovis, Anna Regina Hungariae Boëmiaeque conjunx sereniss. Rom. etc. Ferdinandi Regis, post partum Joannae filiae suae, suum diem obiit, relicto suis subditis ingenti luctu, ac tandem 30. die ejusdem mensis magna cum pompa, ut decuit, in templo S. Viti sepulta est.

Tandem 5. Febr. s. Rex F. una cum filio Ferdinando Lythomerzicium profectus est. Mandato R. M. ut insolito Pragenses sese opposuerunt, nec volebant ferre subsidium contra Electorem. Eorum propositum reliquae civitates sequutae sunt; ideoque Barones et Equestris ordinis homines paucique ex civi-

tatibus Lythomerzicium profecti sunt, quos R. M. primum mandato parere cogebat. Deinde cum cerneret eos nolle id facere, petere coepit, ne se in tanta necessitate deserere velint. Quare plerique moti precibus R. M. cum ea in Misniam profecti sunt. Interea varii motus Pragae emergebant, vulgus una cum Magistratu confluebat in Collegium Caroli IV. alias Magnum, ibique de multis rebus agitabat, inito tandem inter se foedere de mutua defensione. Circa festum S. Mathiae non pauci Barones et Nobiles exceptis judicibus regni, foederi Pragensium accesserunt, idque suis sigillis confirmarunt, et se obligarunt, si quid periculi incolis Boëmiae instaret a quocunque, ut se omnes mutuo defenderent. Inde 17. die Martii comitia in Collegio Caroli IV. celebrata sunt, in quibus decretum est, ut exercitus mitteretur ad tuendos fines Boëmiae, ne quis in eam hostili manu irruere possit.

Exercitui, qui ad Becziow consederat, Caspar Pflug Baro praefuit. Eodem tempore Elector Joannes Dux Saxoniae Vallem Joachimicam cepit. Etenim R. M. fuit ejus animi, ut eam Nurbergensibus, ut fama erat, oppignoraret. Idem circa oppidum Rochliz aliquot millia ex exercitu, quem Marchio in subsidium duce Mauricio duxerat, interfecit, ipsumque Marchionem cepit. Quidam etiam Tunichrin dux exercitus Electoris in Boëmiam venit ac Commutovium cepit. Cumque magnam vim pecuniae ab incolis exegisset, in Germaniam reversus est.

Die Aprilis 18. in arce Pragensi comitia, quae a R. M. indicta erant, celebrata sunt, ad quae M. Caesarea legatos miserat, qui cum statibus agerent, ut supra dictum foedus dissolverent; sed ii nihil effecerunt; imo tum foederi 22. die ejusdem mensis fere omnes judices regni accesserunt, idque in die Martii suis sigillis confirmarunt, ac tum et legatos ad M. Caesaream miserunt, qui causas initi foederis redderent, ac pacem peterent.

Die 24. April. Elector Saxoniae in tumultuario insperatoque conflictu a Caesarianis militibus, proditus a suis ducibus, inter Vittebergam et Turcoviam captus est: quod nuncium, cum in die vitalis Pragam afferretur, omnes homines fere ingenti dolore affecti sunt. Erat enim quasi fatale quoddam praesagium eorum malorum, quae postea in Boëmia sequuta sunt. Revocatus est tum etiam exercitus, qui ut antea dictum est, ad Beczow consederat. Die 20. Maji alia comitia in arce Pragensi celebrata sunt, ad quae legati Caesareae M. venerunt; Episcopus quidam Georgius Ziabka et quidam alii, qui sicut et antea egerunt cum Statibus de solvendo foedere. Sed nec tum quicquam effecerunt. Sunt eo tempore iterum legati a Statibus regni Boëmiae ad Caesaream M. missi; 23. die ejusdem mensis Vitteberga se Caesareae M. dedidit, ex qua conjunx Electoris et filii ad C. M. supplices ierunt. Tertia die Junii R. M. Lythomerzicium venit ac novum mandatum publicavit, in quo recensebat omnia, quae contra ipsam in absentia a Statibus essent commissa, et sibi responsum ab omnibus ordinibus dari jubebat, ex quo cognosceret, an ipsum haberent pro domino nec ne, adjecitque comminationes, se graviter sontes puniturum esse. Multi itaque ad eum se conferebant Lythomerzicium. Miserunt et Pragenses illuc suos legatos: sed iis tantum hoc responsum datum est, nimirum quod R. M. sit cum eis in arce Pragensi actura. Quare in die Visitationis Mariae h. e. secunda die Julii R. M. Pragam cum aliquot millibus hominum armatorum, peditum et equitum, inter quos et Hussari erant, sub vesperam venit. Ibi ingens motus a vulgo excitatus est, hanc ob causam, quia Germani milites pertraxerunt aliquot tormenta ad portam, quae est in parte altera pontis, eaque ita converterunt, ac si habeant animum emittendi globos in urbem antiquam. Sed is motus tandem a Magistratu sopitus est, alioqui, ut homines erant inflammati, procul dubio impetum fecissent in Germanos. V. die Julii iterum magnus motus Pragae ortus

est. Germani milites in altera ripa molam, quae ad novam civitatem pertinebat, vi occuparunt, vulnerato hospite, cui ingens damnum intulerant. Itaque ex nova civitate exstructo vallo plane hostiliter vulgus, cui magna multitudo rusticorum, qui passim ex pagis in urbem confluebant, adjuncta fuit, jaculabatur extormentis in Germanos, et hi vicissim in Boëmos; aliquot horas duravit hic tumultus, tandem interventu noctis sedatus est. In die Procopii R. M. misit scripta ad Pragenses, in quibus omnia complexa est, quae in illius absentia acta sint, quidque ab eis contra se commissum, ac mandavit, ut ad ea futura die Veneris sibi daretur responsum. In festo Joannis Hus acerrimus tumultus mane emersit. Hussari cum equitibus Ducis Augusti, qui eo tempore Pragam venerat, trajecerunt flumen circa pagum Libeň, et magno damno afficiebant rusticos tendentes ad pagum Malessicz. Ad quos reprimendos vulgus cum 50 equitibus sine duce sed tumultuarie egressum est. Sed cum et multitudine hominum superaretur et ex iniquo loco pugnaret ab Hussaris caesum est, et cum magna trepidatione in urbem compulsum. Ceciderunt in eo conflictu plures quam quinquaginta ex nostris. Ex Hussaris et aliis quam multi ceciderunt, ignoratur. Miserabilis plane ea dies fuit, in qua tot homines ab impia gente essent interfecti. Adde quod non pauci capti sunt, quos tandem Hussari exacta certa pecunia liberos dimiserunt. Peracta pugna, ne quid calamitatum deesset, villa nomine Bubny, quae non procul distat ab arce, inflammata est. Altera die cadavera caesorum undique per agros et hortos dispersa conquirebantur. Die Veneris, ut jussum erat, plures 240 in arcem se contulerunt daturi R. M. responsum; sed ab amicis moniti, ne controversiam cum Rege moverent, supplices ei fuerunt, ac se in gratiam et non gratiam (nam haec formula tunc usitata fuit) dediderunt, ac suam culpam deprecando veniam petierunt. Rex jussit eos omnes in hypocausto, in quo judicia regni exercentur, concludi;

sequenti die mane certos articulos eis proposuit, quibus si assentirentur, dicebat fore spem liberationis: sin minus, se ex eis poenam esse sumturum. Erant autem hi praecipui: Ut in proximo conventu foedus initum prorsus aboleant, convulsis omnibus sigillis; libertatis et privilegiorum suorum literas omnes atque documenta sibi tradant, quo nonnulla corrigat, et quae videbuntur, ipsis denuo largiatur et confirmet; tradant etiam literas omnes, quibus jura tribuum atque societatum continentur, eo quod ex iis nonnulla turbis occasionem atque materiam subministrent; arces quoque tradant et jurisdictionem omnem atque vectigalia, deinde literas omnes foederis, ejusque quod cum ceteris ipsi fecerunt, et quod initum est cum Joanne Friderico; cerevisiae vectigal illud promissum in annos tres perpetuo dependant; tormenta et bellicum instrumentum omne deducant in arcem, et quae privatim quisque habet arma, conferant in Curiam. Haec si faciant, multitudinem se conservaturum ait, exceptis nonnullis, quos ad poenam, ut meriti sint, et in commodum reipublicae captivos detinere velit. Ad populum re delata, cum ex captivis ad quinquaginta demisisset, transactum est, ex nobilitate quidam citati cum ad diem non venissent, lata sententia famam, fortunas omnes, atque vitam amisisse pronuntiantur; aliae quaedam civitates atque nobiles ad eum modum uti Pragenses, absque conditione sese dedunt. Caspar vero Pflugius, quem rei summae confoederati praefecerant, uti diximus, laesae Majestatis damnatur, et in ejus caput praemium constituitur aureorum millia quinque. In comitiis deinde cum abolito foedere sigilla conscidissent, Rex ea quae postulaverat omnia propemodum ab illis impetravit. Atque hic annus fatalis accidit regno Boëmiae, quo plurimarum rerumpublicarum bona, privilegia, libertatesque ablatae sunt, multi tam Baronum quam Nobilium civiumque bonis exuti, alii exsilio, nonnulli capite mulctati sunt.

Idem D. Gregorius Orinus a Chocemicz
Prahenus praepositus Collegii omnium Sanctorum.

Anno humanae Redemptionis 1547. die Statutis praescripto iterum Rector Academiae electus est 19. Nov. M. Venceslaus Flavinus ab Helfenberg Academiae Pragensis procurator defunctus vita, hora noctis octava ante Elisabeth et sepultus die Solis ante Clementis.

Sequenti anno 1584. Jan. 20. fundatae atque erectae sunt appellationes et provocationes in arce Pragensi. Eodem anno 25. April. duo rustici e pago Michel citati in Cameram S. R. M. ac jussi eadem die numerare 40 sex M. propterea quod contra publicum edictum non curarint obrui fossas in suis vinetis. Magna itaque cura ac sollicitudine Vicedecani et D. Directorum, praesertim vero patrocinio generosi D. Floriani Grispergii etc. S. R. M. consiliarii, ista mulcta sunt levati. Eodem anno 21. Jul. ortum est incendium in nova Urbe Pragensi, in dioecesi Petrensi Sabbato ante Magdalenae hora 13. in vico pannificum excitatum; eo ad 50 aedes crematae.

Subsequutum est die dominico proxime insequente alterum, ibi tum domus 15 una cum ludo literario, et Curia hospitalis conflagrarunt. Tertium Poržicense mox post dies VIII absumtae domus 4. Eodem anno D. Duchoslai Chmeticz a Semechova cura, ex residua pecunia Elizabethae Swicznice dicta Czwokova post restaurationem Sacelli Bethleemitici cum consensu Senatus Pragensis comparatus est census ex vineis et agris 6 sex. M. quem secundum praescriptorum apud D. Magistrum montium lib. 7. contractuum aeditui Sacelli Bethleemici singulis annis excipere tenentur pro reparatione Sacelli ab hominibus, quos habent descriptos in suo registro.

M. Joannes Hortensius Prahenus
praepositus Collegii Regis Venceslai

anno D. et Servatoris nostri Jesu Christi 1548. postridie S. Galli quartum electus est in Rectores Universitatis.

Eodem anno circa ferias D. Nicolai nobilis D. Udalricus Smrežka a Mnih in Radoninic petiit ab Universitate, ut rusticos in pago Cozmice Collegio Nationis Boëmicae Homagio obligatos ei vendat. Sed dignum sua petitione accepit responsum, eam nequaquam id facere posse: eo quod non ita multo ante omnium redituum ad eam pertinentium juxta mandatum S. R. M. descriptum obtulissent, et a S. R. M. accepissent, ne quicquam interea in his uti nec in aliis bonis ad eandem Universitatem pertinentibus immutent vel immutari per quempiam patiantur.

Sequenti anno 1549. Febr. 18. Maximilianus Ferdinandi Hungariae, Boëmiae Romanorumque Regis filius primo genitus Archidux Austriae in arce Pragensi electus est Rex Boëmiae. Postridie, qui fuit dies concordiae sacer, ejus electionis publico omnium voto facta est declaratio.

Idem M. Joannes Hortensius Prahenus
praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno salutis humanae per Christum reparatae 1549. postridie S. Galli quintum eligitur. 26. Nov. a Sereniss. Rege Ferdinando offeruntur Rectori Universitatis et Magistris 12 articuli de religione, quos Administrator cum suo Consistorio et sacerdotes ac pastores Ecclesiarum sub utraque specie communicantium (ut ferebatur) consenserant credendos.

Super quibus 2. Decemb. responsum ab Universitate datum, a sua R. M. non est acceptatum, sed explicatione singulorum facta mandatum, ut 4. ejusdem mensis nempe feriis D. Barbarae summo mane iterum responsum datura adesset. Ea igitur die horam circa 16. Rectori Universitatis et Magistris arcem, illius responsi gratia dandi, ascendentibus visi

sunt tres oriri soles. Amplus enim circulus solem suo ambitu cingens ad utrumque latus recta quasi linea parelium exhibuit ac tres illos soles trabs praelonga ejusmodi coloris e parte superiori pyramidatim protensa perstringebat. Deinde conventus statuum regni' agitur, in quo juxta articulum proxime praecedentis Synodi conclusum sua R. M. Romanae et Sacerdotes ac pastores partis sub utraque communicantium in religione distractos in concordiam redigeret, ne posthac inter se controversentur, et hujusmodi Concordia Statibus proponeretur, Articuli ergo illi proponuntur, et ab Administratore pro illis propugnatur. Statibus vero repugnantibus, cum S. R. M. nihil decerni posse intellexisset, negotio pietatis suspenso conventum Statuum suum in regnum reditum transfert.

Eodem anno Collegium Lytoměrzicii pro nobilitate civiumque liberis erigitur, et fundatur hac forma: Ferdinandus Romanorum, Hungariae et Bohemiae Rex ad humillimam petitionem Senatus populique Lytoměržiceni pro communi hujus inclyti regni Boëmiae bono et honesto ac ejus urbis Lytomerzicensis emolumento ac incremento praeter scholam publicam in ea urbe antea habitam, aliam scholam particularem seu collegium, in quo juvenes et adolescentes omnium ordinum hujus inclyti regni et non modo domestici, sed et peregrini bonis ac honestis moribus erudiantur, in optimo et amoenissimo loco aëreque purissimo fundavit et erexit, ea conditione, primo, ut praedicti Lytoměržicenses, quoties necessitas postulaverit, personam dignam non alicujus Sectae, sed sub utraque specie Coenam Domini communicantium eligant, eamque suae Majestati praesentent, quae recepta in eodem collegio Ptochodochii suam mansionem habeat, ibique juventutem erudiat, pro quo labore annui et perpetui census Tabulis Regni assecurati ex pago Zahoržan, cujus in possessione consensu Regis est nobilis et strenuus vir D. Udalricus Dubansky, triginta florenos a Consule ejusdem urbis accipiat.

Praeterea quicunque et cujuscunque ordinis sit ille, et velit in quemcunque usum eidem Collegio sua bona vel integra vel partem eorum testamento legare, id non aliter, quam si habeat literas regias, sibi id ut facere possit concessas, quilibet illorum absque ullo impedimento facere potest. Deinde ut idem Magister vel praeceptor praedicti Collegii eadem libertate et eodem jure, quo aliae huic similes Scholae particulares, gaudeat et fruatur. Quod ut ratum et firmum sit, R. M. mandat tam supremis, quam infimis officialibus regni, modernis et post futuris, imo et aliis omnibus subditis hujus regni, praesertim autem Rectori et Universitati studii Pragensis, ut eos Lytoměržicenses et Magistrum Collegii in sua tutela habeant ac defendant, nec ipsi nec alios patiantur aliquid eorum, quae in praedicta erectione Collegii habentur, sub gravissima poena indignationis R. M. immutari. Actum anno Domini 1549. die Mercurii post festum Nicolai.

Sequenti anno 1550. Febr. 24. ad petitionem Decani et Magistrorum Facultatis iterum apertum est examen pro gradu Magisterii, et quoniam ea die et hora praescripta nullus comparuit, data est ei comparitioni 27. ejusdem mensis, et comparuere 4 honesti Baccalaurei: Vitus Sophianus Lunaeus, Casparus Vulpianus Svidnicenus, Venceslaus Didactus Turnovinus et Jacobus Sedlczanus a Tulechova, qui proxima die Lunae, id est 3. Martii per me Rectorem et R. Magistros examinatores sunt legitime tentati et juxta Statuta examinati, cui toti negotio dies ejusdem mensis 15. finem imposuit. Porro 21. Aprilis iisdem examinatis, licentia in artibus et Philosophia in frequenti studiosorum juvenum coetu collata est, et deinde 16. Junii titulo Magisterii sunt insigniti.

Eodem anno Dominica Exaudi M. Adamus Aquila Zatecenus Lytoměržicium se contulit, et in Schola R. M. recens erecta ac solario dotata nobilium puerorum factus est praeceptor.

Eodem anno 5. Maji D. Joannes Senior ab Hodiejowa

vicejudex tabularum constituere voluit in Academia nostra lectori sacrorum poëtarum annuum solarium 16 sex. m. sed quia in ea electione quaedam contra Statuta Facultatis instituere volebat, nempe ut extranei in eam electionem admitterentur praeter consuetudinem, ideo permittere id non potuimus. Voluit enim Decanum arcis Pragensis adesse, et is lector ut possit eligi ex quacunque natione, etiam non receptus ad Facultatem: tamen quia nondum certi aliquid de hac re statui potuit, relinquendum in praesens duxi, ac melior opportunitas vel ejus animi mutatio convenientior exspectanda. Deinde petiimus ab eo, quod omnia alia amplectimur, praeterquam electionem, quia ejusdem lectoris contra Statuta sit, quoniam nulli lectores constituuntur a quoquam in Academia Pragensi, quam a Decano ex consensu Facultatis; et quia ejus electio id prae se ferebat, ut quemcunque ille elegisset, ut recipi tam ad Universitatem quam Facultatem, cujuscunque nationis fuisset, etiamsi diversae religionis esset. Ideo postea dedimus eidem responsum, quod volumus tres Magistros, etiam alienigenae si sint, eidem offerre et praesentare, ut quemcunque vellet approbaret, ut literae ad eum missae vulgari lingua plenius testantur; et cum visum illi esset rursus nos sollicitare, mutatis quibusdam et plerumque corruptis in deterius suae electionis per D. Georgium, cui responsum fuit, nos petere, ut nostro responso priori acquiesceret, neque posse nos praeterea aliquid contra consuetudinem et Statuta approbare, nec concedere, id quod ille silentio transegit, quasi displiceret eidem nostra sententia. Ad extremum ex communi consensu et deliberatione amicorum Seniorum D. Joanni Hodiejovino responsum finale est datum super sua erectione lectoris poëtas sacros, qui remisit nobis scriptum suum per D. Gregorium Orinum, in quibusdam locis reformatum, sed in deterius, nec acquiescere volens nostro responso per eundem D. Doctorem in hanc sententiam. Nos sicut antea D. Joannem petere tanquam amicum Universitatis et nostrum optimum, ut

responso nostro proxime sibi dato acquiescere velit. Super quo scripto satis diu a nobis est deliberatum, et amicis id responsum aequum ac justum videri, quod nobis valde gratum futurum sit, neque aliud responsum illi dare nos posse; sed et locutos nos esse cum amicis, ut de hac re cum eo amice agant, ac petant, ut responsum a nobis ei oblatum susciperet, nosque ita persuasos de eo tanquam amico, quod amplexurus sit nostram sententiam. Post hac idem D. Joannes Hodiejovinus egit cum M. Sebastiano seorsim, ut hanc lectionem et operam subiret in legendo, qui petiit deinde Facultatem, ut sibi liceret, privatim hos sacros poëtas studiosis enarrare, quodque certis conditionibus illi est concessum.

Eodem anno 31. Maji in urbibus Pragensibus decidit pluvia commista sulphuri, similiter et nocte insequente. Per hos quoque dies ferebatur in oppido Regni Bohemiae Pisecae pluisse sanguine; alibi natum esse agniculum uno quidem capite, sed duobus ventribus, octo pedibus, duabus caudis. Alibi item ajebant, felem humana et intelligibili voce esse locutam.

Eodem anno die Sabbati post Sophiae ad vota M. Sigismundi Antochii conclusum est a directoribus, ut eidem, uti antea permissum fuit a M. Henrico et aliis omnibus, 10 sex. m. a Collegio Rečžek darentur; vel ex retentis bonorum, quae apud se manserant, totidem Sexagenae illi defalcarentur, quia ejus opera eidem Collegio judicio Cameratico 340 sex. m. sunt assertae, quamvis nondum acceptae. Ita quoniam is tempore pestis post obitum rustici Chalupae in pago Michel ad mandata D. Rech ausus sit periculum valetudinis subire et facultates post eundem rusticum relictas discutere, et de his providere, ac pecuniam repertam colligere et in Collegium deferre, et eam e faucibus Martini Cutini, et aliorum luporum eripere, ob quam rem contumelias et difficultates plurimas in judicio Cameratico sustinuit.

Eodem anno die 5. Julii mortuus est M. Joannes Presticenus a Javoržice vulgo Kulata dictus, quondam secundo Decanus Facultatis artium Academiae Pragensis, Praepositusque Collegii Regis Venceslai etc. et in minore urbe Pragensi, ubi tum habitabat, in aede D. Laurentio sacra sepultus.

Idem M. Joannes Hortensius Prahenus praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno a nato Salvatore D. N. J. Ch. 1550. die consueto electus est sextum Rector Universitatis. Eodem anno 19. Novemb. Judaica femina Pragae vico Judaeorum peperit infantem, quasi galeam cancellatam caput et reliquum corpus armis equestribus obvestitum. Neque vero illud silentio praetereundum videtur, Sacerdotem Joannem Mistopolum, Administratorem sub utraque Coenam Domini communicantium, hoc anno praetextu stubae majoris in domo Parochiali ad aedem D. Nicolao in urbe antiqua sacram, ubi tum pastorem egisset, incendio in ipsa Vigilia Epiphaniae conflagratae, per impetrantiam sibi collegium Omnium Sanctorum donari curavisse, quo, ut illi cederetur, Rector U. et Magistri a Consiliariis R. M. Camerae accersiti severe admoniti sunt; verum cum id praestare per privilegia illis minime licuisset, et eam ob causam reverenter recusasset, ac nihilominus urgerent, ad R. M. provocant, cui Pragam advenienti supplicant ac submisse M. S. orant, ne pati velit contra privilegia Collegiorum illud ab Universitate abalienari; quibus S. M. in hunc modum respondit: Ecclesiastica et Scholastica bona distincta esse, neque se ea velle pati confundi. Si itaque Mistopolus juste impetravit, quod obtinebit, si injuste, nihil habiturus sit, interim illi ut habita patientia, sua privilegia et justitias Camerae Consiliariis offerant. Ejus rei gratia cum compa-

ruissent, per Praesidentem Camerae illis dictum est, Mistopolum Administratorem mutato consilio suo a proposito declinavisse, et idcirco Collegium Omnium Sanctorum a S. R. M. ut fuit antiquitus, in potestate Universitatis relinqui.

M. Sebastianus Aerichalcus Praesticenus
Collegii Carolini Senior.

Anno Christi 1551. postridie Galli Rector Academiae electus est. 26. Octob. per hos dies inter coenandum assidentibus mensae tribus mercatoribus pluit sanguis in mensam e laqueari hypocausti in aedibus Henrici Gilowsky civis novae urbis Pragensis in dioecesi S. Henrici non procul ab Horto Angelico.

Die Mercurii post ferias S. Nicolai comparuimus de mandato Archiducis Ferdinandi locum tenentis in Camera regni, ubi nobiscum actum est de Collegio Laudae ac significata est difficultas S. Mystopoli Administratoris, quae ipsi a Collegio et ea domo eveniret, voluntas Archiducis in loco R. M. addita comminatione. Ad haec tum Archiduci quam R. M. quae paulo post Pragam Vienna reversa est, tale responsum dedimus. Primo ex parte gravaminum, quae D. Administrator se a Collegis perferre dicit, nos diligenter praecepisse Collegis, et subinde praecipere, ut pacifice et convenienter juxta Statuta eorundem Collegiorum se gerant: nec dubitamus, quin sic fecerint et adhuc faciant, et se gerant, praesertim cum D. Administrator nihil tale de eis ad nos retulerit, imo et hunc statim cum talia a V. S. R. M. consiliariis nobis significata essent, Collegis ea, de quibus D. Administrator conquestus est, diligenter exposuimus, requirentes, an quippiam tale accidisset: verum illi omnibus contradicunt affirmantes, se officiose et reverenter erga D. Administratorem gessisse et adhuc gerere, et imposterum idem facturos esse, nec ulla in re mole-

stos illi fuisse. Secundo ex parte obstructionis fenestrarum, ne per eas in cubicula D. Administratoris inspiciatur, haec V. S. R. M. humiliter referimus, quod ejusmodi obstructione fenestrarum omnes eae Camerae Collegiorum obtenebrarentur, et prorsus sine luce esse cogerentur, praesertim cum aliis fenestris careant; atque ita nemo Collegarum in eis nec habitare, nec studiis operam dare posset: nec etiam consentaneum est, ut ita quemadmodum narratur, per illas fenestras in cubicula D. Administratoris inspectio fieri possit, cum ea aut vitris aut densis ligneis cancellis munita sint. Ad haec praedecessores D. Administratoris de nulla re, quae ipsis gravamini esse posset, antea conquerebantur, id quod re ipsa cognosci potest, si V. R. M. id inspici committere dignaretur. Tertio, quod attinet ad condescensionem D. Administratori cujusdam loci in Collegio, cum is sine dubio ejusmodi loco partem Collegii Laudae, quam antea expetivit, V. S. R. M. D. nostro gratiosissimo, quae difficultates et detrimentum in collegas ac domum tali condescensione redundaret, humillime et cum omni submissione, ut res ipsa melius cognosci queat, haec referimus, quod is locus, quem D. Administrator expetit, non sit desolutus, sed eo collegae semper usi sunt et hactenus utuntur, nec sine eodem commode ibidem vivere possunt. Et si voluntate Dei id fieret, sicuti certa spes est, ut V. S. R. M. juxta suum gratiosum promissum pro naturali propensione erga Pragense Studium, ut ad pristinam dignitatem et statum reducere dignetur, numero studiosorum aucto non solum ea parte domus atque iis habitationibus, sed multo pluribus opus erit. Praeterea talis condescensio esset contra voluntatem et testamentum ejusdem Collegii fundatoris piae memoriae Mathiae Laudae a Chlumczian quondam judicis Curiae regni Bohemiae, qui domum illam propriam ad inhabitandum studiosis tantum ac Collegis legavit. Idque propter

gloriam Omnipotentis Dei, utilitatem et honorem patriae, matris suae, et salutem specialiter animarum. Quodsi contra ejusmodi voluntatem et ordinationem a nobis aliquid aut mutaretur aut concederetur, veremur ne et DEUM et nostras conscientias graviter offendamus, et alios pios homines, qui bono animo simile beneficium conferre vellent, a tam pio proposito alienemus. Atque ea voluntas et fundatoris ordinatio facta est cum consensu divae memoriae praedecessorum regni Bohemiae, eorumque privilegiis, insuper et V. S. R. M. Domini nostri gratiosissimi confirmatione roborata est, ut ita, quemadmodum antiquitus ordinatum et in usu erat, teneatur et servetur sine violatione; et juxta eam fundatoris ordinationem et divae memoriae Regum Boëmiae et V. S. R. M. Dni. nostri gratiosiss. confirmationem a praedecessoribus nostris et a nobis tenebatur et observabatur, et adhuc tenetur, in usu est et observatur; sic quod nobis est a praedecessoribus concreditum et relictum, ut integrum sicut accepimus, nostris posteris conservemus, obligatione tenemur. Nec cuiquam antea ita, ut D. Administrator expetit, concedebatur.

Insuper V. S. R. M. ex sua liberalitate et sua regia gratia in eadem confirmatione Studio Pragensi hanc gratiam conferre dignatur, ut quicquid a benefactoribus Pragensi Studio legatum sit, et antiquitus ad Collegia pertinet, eo libere et citra omne impedimentum uti possit, et ne quisquam Collegia, quaeque ad illa pertinent, sibi usurpare, nec ullo modo se interponere audeat, sed juxta veterem formam ac libertatem ut omnia conserventur; et V. S. R. M. non ita dudum ad nos talia gratiose dicere dignata est, quod non velit bona Ecclesiastica cum iis, quae ad Universitatem pertinent commisceri, et ad alios usus (quam sunt legata) converti. Quare a V. S. R. M. veluti Domino nostro gratiosissimo humillime et cum summa submissione oramus et rogamus, ut V. S. R. M. hanc nostram sinceram expositionem et gravamina, quae tali condescensione collegis evenire possent, gratiose suscipere et

ponderare, ac juxta voluntatem et ordinationem praedicti piae memoriae fundatoris et juxta divae memoriae Regum Boëmiae privilegia et V. S. R. M. Domini nostri gratioss. confirmationem et juxta V. S. R. M. gratiosissimam voluntatis significationem. Ad hanc juxta laudabilem formam nostrorum majorum in integro usu et possessione ejusdem Collegii Studium Pragense, et nos gratiose relinquere, et conservare tanquam D. noster gratiosiss. dignetur.

Sequenti anno 1552. in die S. Gregorii ante intromissionem Baccalaureorum, qui petituri erant gradum magisterii, quae sibi sententias D. Magistrorum, deberetne (sic) ii ita, ut vocati et privatim et publice per literas erant, in conspectum D. Magistrorum intromitti. Consensum est, ut admittantur, intromissi haec loculi sunt. Initio bonum Universitati et alia praecabantur, inde petebant, ut admittantur ad examen, deinde quaesivi, essetne eis responsum dandum, et in quam sententiam. Conclusum, ut juxta Statuta procedatur. Sunt tandem intromissi, eisque Statuta, quae ad gradum magisterii pertinent, lecta de omnibus lectionibus, et legitima procreatione. Quod ad lectiones attinet, significarunt, se non omnes audivisse, sed daturos operam, ut haec imposterum sua compensent diligentia. Deinde quilibet sub bona conscientia dixit, se esse ex legitimo toro natum. Postea significata est nostra voluntas, quod videlicet admittantur ad tentamen, eique rei dies Mercurii dilectus est hora 12. Jussum quoque, ut insignia gestent, et vestes honestas, et gravitatem in moribus servent. Die vero praescripto 10 illi virtute et eruditione insignes viri artium Philosophiae Baccalaurei comparuerunt: Joannes Horžicenus, Praesbyter Thomas Mitis Nimburgenus, Joannes Aquarius Sobieslavinus, Georgius Polenta Guttembergenus, Thomas Hussinecius Vodnianus, Joannes Flaco Piscenus, Thaddaeus Nemicus Pragenus, Paulus Christianus Glattovinus, Matthaens Philomates Daczicenus, Mathias Peklo Colonius, qui legitime tentati et examinati tandem licentiam

publice legendi et disputandi in artibus 29. April. sunt consecuti, post Magisterii Philosophici titulo insigniti atque ornati.

Eodem anno M. Sigismundus Antochius ab Helfenberg, professor in Academia Pragensi, post Senator Antiquae Urbis Pragensis in propria domo ad tres Coronas 1. Maji interfectus et in templo D. Galli sepultus est.

Eodem anno Rodolphus Maximiliani II. filius, Ferdinandi I. nepos, Philippi pronepos, Maximiliani I. abnepos, Friderici antenepos, Leopoldi soboles, Alberti propago, nascitur Viennae Austriae.

Ego idem M. Sebastianus Aerichalcus

Praesticenus

a feriis S. Galli anno 1552. iterum praeter meam spem ad eundem laborem Rectoratus electus sum. Fiat voluntas Domini Dei mei, quem spero mihi semper affuturum esse, meque pro ejusmodi laboribus omni genere bonorum aucturum in hac Academia et futura vita.

Eodem anno 21. Octob. in praeurbio Novae Bydžoviae, qua vergit ad meridiem igne domestico 21. domus et 22. horrea sunt cremata. Ferunt quemdam Calcearium cum globulo picam avem ab arbore voluisse dejicere, bombardam horreo temere applicuisse, itaque stipulae, quarum ibidem magna erat copia, concipientes flammam ingens et universo oppido admodum periculosum excitarunt incendium ejus detrimenti per imprudentiam tracto igne civibus illati, autore fuga sibi vitam conservante. Damna dat, imprudens si tractaveris, ignis: sin recte utaris commoda multa parit. Lapsi sunt a priore incendio anni 110 quo parochus N. cognomine Hassek cumque eo viri quinque numero conflagrarunt. Arsit praeterea idem Bydžovium 1420. Junii 15. atque is luctuosus casus accidit annis 821. a condito Bydzovio id sua pri-

mordia atque fundationem ferre debet Bydo Slavvimili Principis Gurimensis filio.

Eodem anno 9. Novemb. vir pius, honestus et integer Georgius, publicus minister Pragensis Academiae, qui pedellum agens multos annos servivit, subita morte sublatus est.

Sequenti anno 1553. Jan. 9. nocturno tempore gravis aëris turbatio, tempestas, ventorumque flatus violenti, Chasmataque in oppido Lythomyslio simul et in urbibus Pragensibus sunt coorta.

Eodem anno 31. Jan. in communi deliberatione Directorum consensus factus est de Collegiis omnibus emendandis, ubicunque necessitas postularet, praecipue vero Collegii Apostolorum pars anterior, quae ruinam minatur, ut denuo aedificetur et anterior pars Collerii Nazareth si poterit fieri immutetur.

Eodem anno 19. Martii emigravit ex hac vita Venceslaus Hajecus a Lyboczian, sepelitur in Coenobio D. Annae in majore urbe Pragensi. Scripsit annales Boëmiae, eosque perfecit et ad calcem deduxit anno 1541. Historici est etiam et Chronographi lectorem reddere tum eruditiorem, tum meliorem, id an Hajecus praestiterit, nos quidem in medio relinquimus, imo ejusdem annales seu Chronicon, quod publici juris fecit, legenti censendum permittimus.

Eodem anno ante ferias S. Joannis Hussinecii in plena congregatione Universitatis juxta Statuta urgente necessitate judicii in gravi causa electi sunt duo Consiliarii e studiosis: Mathias Thermenus, et Hieronymus Glattovinus, idque ea gratia, quod ii, qui more consueto postridie S. Galli, cum fit electio Rectoris Universitatis, designari solent, si Praga excesserint administraturi Scholas. Illa tamen mutatione loci non est eis addendum nomen Consiliariorum. Hoc ideo annotavi, quia insolens erat, ut novi Consiliarii praeter tempus praedictum eligerentur, ut posteri scirent, si quid tale contingeret, quid majoribus visum de ea re fuisset, nimirum quod

Universitas eligere debeat Consiliarios Rectori; sic tamen, ut Rector adesse possit, et in ejus praesentia personae certae sex eligantur, ex quibus ipse quos vellet, sibi tandem deligeret.

M. Joannes Hortensius Pragenus,
Praepositus Collegii Regis Vencesilai.

Anno Dominicae Incarnationis 1553. septimum eligitur Rector postridie S. Galli.

Sequenti anno 1554. Octob. 20. M. Joannes Schentygár a Cholerina patra (sic) Kvozdianus (Lib. Dec. II. 318. Hwozdianus) Pragensis Academiae Professor publicus, post civis et Medicus Reginae Hradecii, ubi ducta in matrimonium vidua Agnetae Jacobi Velassii ab Hostovicia sorore, mortuus est, vir eruditus, prudens, gravis, non pauca ad D. Joannem ab Hodiejova aliosque scripsit.

Eodem anno 13. Junii solis facies pallida ac veluti lurida spectabatur.

Notandum de Graeco lectore. Wes řeczena Sazenem, na niž plat Lektorowi rzeckemu dskamy zemskymi ugisstèn byl; wedle smlauwy na hoře poznamenane, postaupena gest od panůw Pražan Staroméstských Krali Ferdinandowi po bauržce. A on zase postaupil gi Floryanowi Gryspekowi y dědicum geho, gakž w Kwaternu geho trhowem bilem leta 1548 we cztwrtek po třech Kraljch p. XXVI, to w sobie obsahuge a zawira. Proti tomu Floryan Gryspek dskami zemskymi uwolil se s dědicy swymi tehož platu 45 kop grossu Pražskych Lektorowi řzeckemu z též wsy Sazenem wydawati, gakž dsky w Kwaternu trhowem bylem leta 1549 we cztwrtek po Swatych třzech kralych p. XXVII. swědczi. Potom tyz plat přzeweden na wes Poržiczany, giž P. Jaroslaw Smiržicky, gakž w Kwaternu trhowem zelenem leta 1558 w Autery po přzenessenj Sho. Wacslava P. s. wdrženj zustawa. Sem naležj y smlauwa o tez panstwj w pamatnem modrem. Y. XIX.

Idem M. Joannes Hortensius Pragenus

Praepositus Collegii Regis Wenceslai.

Anno a nato Christo 1554. die usitata octavum eligitur Rector. 27. Octob. ejusdem anni perfecta est turris, per quam aqua ex Vultava ducitur ad Pontem in antiqua urbe Pragensi ultra Balneum regium, tecto et pinna ei impositis, primate per id tempus existente Joanne Chochol a Semechowa.

Sequenti anno 1555. Junii 5. Pragae, qua arx D. Venceslai est sita, visae sunt quadrante horae ante ortum solis tres orbitae, alioque in loco iterum tres circuli sibi invicem proximi. Eratque tum omni nubilo carens coelum.

Eodem anno 24. Junii diem clausit extremum in oppido Glatovia ad 13. a Praga lapidem distante venerabilis vir M. Martinus Glatoviensis, theologus et Presbyter, quondam et administrator Consistorii Pragensis, sub utraque specie communicantium. Ad haec praedicator per multos annos in Sacello Bethleem vixit annos 57. natus enim scribitur fuisse anno Domini 1498, sub extremos aetatis suae annos adeo repuerascere est visus, ut ne dies quidem cujuslibet hebdomalis discriminare potuerit.

Eodem anno mense Julio fratres de societate Jesu Pragam venerunt. Eorum Seniores curru vecti sunt, juniores vero paulo habitu prolixiori palliis brevioribus super indutis procedebant, limis spectantes oculis et baculis innixi per forum antiquae urbis Pragensis recta pergentes ad Coenobium D. Clementis ad Pontem. Causam adventus eorum ferebant idque publice eam esse, ut religioni addictos, quam sub utraque communicantium coenam appellant, ad obedientiam Romani Pontificis ejusque religionem adducant, illudque ipsos se promisisse erecta publica Schola pro puerili institutione brevi effecturos. Arguto et vafro argumento rem admodum regno et reipublicae per-

niciosam paucis id persentiscentibus aggressi sunt, et primam lectionem seu declamationem de lingua Hebraea in eodem templo S. Clementis ipso die S. Joannis Hussii habuerunt, Petrus Canisius primus auctor hujus Scholae erectionis.

Eodem anno 4. Octob. ordines regni Boh. sub utraque specie communicantes in domo Carolina habito conventu publico de consensu regiae Majestatis legerunt Senatores Consistorii, seu judicii Ecclesiastici Pragensis.

Idem M. Joannes Hortensius Pragenus

Praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno ultimi seculi 1555. die usitata nonum Rector Academiae eligitur. Eodem anno 20. Novemb. nocte sequente hora fere 5. lue pestilentiali exstinctus in domo Caroli IV. placide decessit M. Sebastianus Aerichalcus patria Praesticenus Boh. publicus in Academia Professor, ac domus Carolinae Senior, vir pietate et eruditione, graecaeque linquae cognitione praestans, sepultus in fano Bethleemitico. Non pauca reliquit sui ingenii monumenta, quorum pars edita, typisque sunt excusa, ut argumenta in duas priores Terentii Comoedias, carmen Heroicum de affectibus a Philippo Melanchtone descriptis; oratio Virgilianae A. sororis Didonis reddita Paraphrasi pedestri, de re nummaria compendium ex asse Budei confectum, item plura ad D. Joannem Hodiejovinum scripsit carmina. Scripsit et in officia Ciceronis annotationes eruditas, Praefationes in metra M. Thomae Mitis, et alia non pauca luce digna. Condidit hic testamentum et domui Carolinae scyphum argenteum et deauratum et libros compactos complures legavit, et Collegiis pleraque donaria similiter contulit, quod testamentum quia amici comprobarunt, et eidem acquieverunt, ideo ratificatum et comprobatum est 24. Jan. An.

1556. praesentibus D. Blasio Nožička a Votin, D. Paulo Sylvestro a Drazice, D. Zacharia et D. M. Jacobo a Warražowa. Sed quia D. M. Sebastianus fuit a consiliis Rectori per Universitatem electus, et in Directorem Collegii nationis Boëm. Decano adjunctus: ideo propter incidentes necessttates Universitatis et collegii dicti in ipsius locum Consiliarius M. Mathias Bydzovinus et in Directorem ejusdem Collegii M. Thaddaeus Nemjcus Pragenus in congressu Universitatis omnium suffragiis est substitutus, idque in fine Decemb. An. ut supra.

Eodem An. 29. Decemb. horribilis inusitataque ventorum tempestas fulgurum coruscationum fulmina, chasmata, ardores coelium eodemque tempore nocturno pluribus in locis, ut ferebatur, coorta, videlicet Pragae, Melnicii, Guttebergae in arce Kuneticensi de coelo tanguntur templa, arces. Porro Georgius Fabricius et ipse notavit, hoc eodem anno veram (?) 3 Cal. Jan. tempestatem ventorum et fulgurum per totam ditionem Misnensem fuisse*, multa templa, multasque arces de coelo tactas. De ea tempestate exstat judicium Presbyteri Mathaei, tum pastoris ad altam aedem Guttenbergensis. Memorabile item est, quod Mejerus in literas retulit an. Dn. 1406. per hos quoque dies fulguribus horrendis et grandibus atque tonitruis (sic) Flandros fuisse territos; sunt qui ante 5. et 4. diei Martis in Boëmiae plerisque locis visum fuisse scribant. Eodem anno 3. hujus grando laesit vineta, tectum Slovanense ex ea parte, quae respicit solem occidentem, corruit. Hoc ipso anno uvae barbatae in quorumdam Pragensium intra moenia vinetis repertae, et a multis non sine admiratione conspectae. Exuberantiam humiditatis quidam ejus rei causam censebant, alii judicabant argui luxum et temulentiam nostrae tempestatis hominum.

Eodem anno die Jovis post Mathiae adiit me D. Decanus cum D. Vicerectore M. Matthia significantes mihi consensum Facultatis de aperiendo Examine Magistrorum, petentes

nomine Facultatis, ut id secundum autoritatem privilegiorum mihi tamquam Rectori et Vicecancellario Universitatis concessam aperiam et laborem hunc pro honore Dei et Ecclesiae ac Universitatis utilitatem (sic) suscipiam, et ne differatur, cum publica necessitas id postulet acquievi et munusculum sesquialterum Joachimicum accepi. In quo comparuerunt eruditi viri: Andreas Lucinius Lythomèržicenus et Erhardus Neoburgenus, quibus rite ac legitime mense Septemb. tentatis atque examinatis primum licentia docendi Philosophiam aliasque artes liberales publice die Mercurii post ferias D. Venceslai oblata est. Deinde honestiss. titulo Magisterii circa Purificationis ornati sunt.

Eodem anno 27. die Aug. M. Simon Proxenus a Sudetis promotus in Academia Francofurti ad Oderam cum antea plerasque in Germania celebriores Academias aucta eruditione invisisset, ut Ecclesiae Dei et patriae prodesse posset, domum est reversus et peractis secundum leges disputationibus in facultatem nostram receptus est, cui quod in Fiscum numerare debebat petenti condonatum est. Intererant illis disputationibus, easque ornarunt praeter acta .regentes Professores, etiam magistri, qui in republica vivunt, argutisque objectionibus eruditionem ejus explorarunt.

Eodem anno die Mercurii hora occasus solis ante Laurentii scelere ut ferebatur, incendiariorum arsit pagus Michel et fere totus funditus conflagravit, excepto molendino et casis aliquot inutilioribus, ubi horrea omnia, excepto ut dictum est, molendino, cum magna copia frumenti funditus exusta sunt; praeterea maximus numerus gallinarum et columbarum cum aliquot armentis, suibus et porcis eo incendio periit; et quia nihil prorsus seminarunt, ideo ut rursus aliquo modo sublevari ejusdem pagi rustici possent, accepta sunt e pecunia Hořželicensi e fisco Collegii magni die Martis post assumtionem B. Mariae Virginis 250 sex. et aliquot gross. M. ut pro inopia eorum mutuo illis dari possent, in qua summa com-

prehenditur summa 111 sex. 19 gross. Mis. a M. Sebastiano olim collecta, et ad me recepta. Insuper eadem die Martis ante Bartholomaei recensita et numerata est ea pecunia, quae a me et olim M. Sebastiano Praestinceno ex variis fiscis fuit mutuo accepta pro berna regali anno 1549. die Jovis S. Procopii, quae in scatula quadam fuit reposita, et conveniebat numerus, quantum acceptum fuit, praeter aliquot nummulos, et hi deinde additi sunt. Fuit autem summa istius pecuniae acceptae et redditae 127 sex. 19 gross. 5. den. Mis. quae eadem die ad fiscos proprios est deposita, et conveniebat numerus quantum acceptum fuit restituta nimirum ad collegium Apostolorum pecuniae per me collectae 51 sex. Item ad fiscum Collegii Carolini 14 sex. 49 gross. 5 Den. ad fiscum trium Collegiorum per me Henricum collectae, 61 sex. 30 gross. Mis. sed ex hoc summa 13 sex. M. M. Henrico mutuo sunt datae, ut a Mag. Sebastiano ipsius Chyrographo consignatum est in charta cum literis ipsius sigillo munitis in fisco et arca majori in Bibliotheca Carolina reposita.

Actum est praesentibus: D. M. Mathia Curio Vicerectore M. Jacobo Codicillo Decano Facultatis, M. Mathia Bidżowino et M. Thaddaeo Nemico. Actum ut supra.

Idem M. Joannes Hortensius Pragenus
Praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno a partu Virginis matris 1556 postridie S. Galli decimum Rector electus est. Eodem anno praesentibus D. Decano M. Jacobo Codicillo, M. Matthia Dapsili Curio M. Mathia Bydžovino, M. Thaddaeo Nemico Prageno et M. Georgio Polenta Guttebergeno praeposito Collegii Carolini pro commodo Universitatis, haec conclusa sunt quae a R. M. peterentur:

Primo, ut bona, quae nondum certis de causis poterant intabulari, intabulentur, ne aliquando periclitarentur. Secundo,

ut census, qui ex camera R. M. solvuntur in aliquo pago nobis ostendantur, et si plus consumsit, ut mutuo accepta alicunde pecunia redimantur. Tertio, ut pagus Michel in hereditariam possessionem auctoritate regia daretur, ne aliquando redimi et alienari ab Universitate possit. 4. ut pecunia, quae deposita ad judicium Camerathicum est pro emendatione Collegii et alias necessitates reddatur, vel si id fieri nequit ut vel ad summam capitalem adscriberetur, vel ad hereditariam possessionem accipiatur. 5. ut paedagogi in civitatibus Pragensibus submoveantur et tollantur. 6. ut reversus nobis Collegii Laudae a Mystopolo tradatur, ne pars Collegii hac occasione periclitetur, et ad Bethleem Parocho pertinere videatur. Eodem anno 25. Decemb. oriente sole tres soles lucidi oriri conspiciebantur, ea propemodum specie ac figura, qua die Barbarae an. 1549 fuerunt visi, ipse dies alias fuit serenus et tranquillus.

Sequenti anno 1550. April. 2. feria. 6 ante Judica inter 10 et 11. horologii Boëm. horam pie placideque ex hac vita decessit. M. Joannes Hortensius natione Pragensis, ejusdem Gymnasii Professor publicus, et Mathematicus excellens, praepositus Collegii Regis Venceslai post et Rector illius ipsius Academiae, vir pius, probus, gravis, eruditus disertusque, quod ejus Ephemerides publicam in lucem editae, et alia scripta attestantur. Sepultus in fano Bethleemitico, vixit annos 56. Reliquum administrationis M. Henricus Curius ab Helfenbergk, Abbas Coenobii Slovanensis, Vicerectoris Officio tum temporis fungens exegit. Post cujus obitum facta per Vicerectorem convocatione Dn. Magistrorum actu regentium deliberatum est de praepositura Collegii Regis Venceslai suscipienda, quam D. M. Matthias Curius ab Hagek, Administrator Consistorii sub utraque communicantium suscepit, atque omnium consensu ejus beneficio est investitus.

Eodem anno 23. April. M. Nicolaus Ssudus a Semanina Patria Lythomysslenus, natione Boëm. inclytae Academiae alumnus Pragensis, deinceps et Professor publicus, tum etiam ejusdem Facultatis Decanus Pragae suis in aedibus pie placideque ex hac vita decessit. Honorifico frequentique funere elatus ad D. Mariae fanum (supra Lacum vulgus nominat.) ibidem tumulatus quiescit, cum non amplius, quam tres hebdomadas duosque dies M. Joanne Hortensio morte functo supervixisset. Mathematicus excellens, Philosophus praestans, nec Hebreae linguae rudis, eoque illustre Gymnasii Pragensis, nostraeque patriae lumen. Ephemerides cum Prognosticis, jam tum ab anno 1520 emisit. Unde de ejus viri pietate, eruditione, doctrina, adeoque judicii in tam abstrusis rebus acrimonia, ceu ex ungue de toto leonis corpore aestimare legenti non sit difficile. Verus erat ex superiorum corporum positu coelique, quod est arcanorum tabula fatorum, aspectu futuris de rebus vates, quod circa cujusque injuriam paceque eruditorum mathemata colentium atque profitentium dictum nos magnopere esse avemus.

Hoc ipso anno circa festum Georgii M. Matthias Vicenus Lytomèržicenus, ornatus Magisterii gradu in Academia Vitebergensi, ut testimonium ipsi datum continebat, cumque reverso comissa esset cura regendae Scholae in minori Parte Pragensi petiit una cum amicis a nostra facultate recipi, cui responsio dilata est tantisper, donec statutis disputando satisfecisset.

M. Joannes Colonius, Administrator
sub utraque Coenam Domini Communicantium et pastor Dominici gregis ad S. Nicolaum in Veteri Praga.

Anno salutis nostrae 1557. postridie S. Galli Rector Universitatis Pragensis electus est.

Sequenti anno 1558. Fbr. 24. Ferdinandus I. Rom. Impr. Hungariae, Boëmiaeque rex declaratur. Rom. Caes. Imp. pius, felix, augustus.

Eodem anno 5. Maji venerabilis Presbyter et M. Joannes Horžicenus, pastor ad D. Stephanum in nova urbe Pragensi alio ex hac vita translatus est.

Eodem anno 11. Augusti die D. Laurentii conspiciebatur Cometes, et in autumno est secuta tanta siccitas, ut messis impediretur.

Eodem anno Carolus V. Imperator multorum regnorum Dominus, et regum victor, Archidux Austriae post ultro resignatum fratri Ferdinando, Electoribus adsentientibus, imperium per legatos, cui ipse annos 37 praefuerat, die 21. Septemb. moritur in monasterio vallis Toletanae in Hispania, quo depositis imperii insignibus secesserat.

Idem M. Joannes Colonius, Administrator sub utraque Coenam Domini Communicantium et pastor Dominici gregis ad S. Nicolaum in Veteri Praga.

Anno Nativitatis Christi 1558 die statutis praescripto iterum Rector Academiae eligitur.

Eodem anno 8. Novemb. Sereniss. Archidux Austriae Ferdinandus regni Boh. gubernator sive prorex, omnesque regni Ordines Proceres, Nobiles, Senatus, P. Pragensis, Academia et Clerus Ferdinando Rom. Hungariae, Boh. regi et imperatori nuper electo, Pragam adventanti obviam procedunt, eumque summa gratulatione, celebritate, et honore excipiunt. Equitatus erat 5000. Peditatus constabat 18 signis armatorum civium pullis indutorum cucullis et flagellis praeferratis Ac. M. D. Rector cum Magistris et Clero oratione excepit imperatorem ultra aream Avis post portam Equorum circa bivium. Eum deinde subsecuti sunt 9 Musarum Chori ex adolescentibus scholasticis delecti, occinentes gratulatoria

carmina variis generibus Musicis, dum ad urbem, et urbe progrederetur. Erant per plateas et vicos certis intervallis distincti, in quorum medio in vico foeni ad lacum prope aedem D. Henrici Cantores decimum chorum repraesentantes eligant (sic) variarum vocum moteta collaudarunt; stabant quoque in urbe reliqui coetus ex singulis hominum aetatibus delecti, oratiuncula gratulatoria alloquentes Imper. adventantem. Pueri quidem in clivo plateae Angelici horti, Virgines et puellae in foro antiquae Urbis, Viduae etc. cis Scholam minoris Civitatis Pragensis. At Senes in Hradczana prope praetorium et templum S. Benedicti; quae Pompa alibi a clariss. viro M. Matthaeo Colino a Choterina et Martino Cutheno ad mandatum Sereniss. Archiducis Austriae Ferdinandi luculenter descripta et publice edita extat.

Sequenti anno 1559. Julii 15. die, qui fuit Divisionis Apostolorum ad 24. prope horam ex ictu fulminis exortum est incendium, quo novae Urbis Pragensis turris una cum campana horaria, quae 50 pondo gravis erat, et eleganti automale cumque Senaculo magna ex parte conflagravit. Ustulatus ibidem vir quidam est, qui id restinquebat incendium, sed ab eo exitum, flamma vicina quoque corripiente, non habuit. Praeterea et illud memorabile videtur, quod ex anteriori parte turris, in qua vehementissimus erat ignis in foramine reperti sunt sequenti die, qui erat Dominicus, cum ruderae ejicerentur, duo pulli columbarum, et ad Consulem ejus urbis, imo etiam ad Archiducem proregem vivi allati sunt.

M. Matthias Dapsilis Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai et Administrator sub utraque Coenam Domini Communicantium.

Anno incarnationis Dominicae 1559. postridie S. Galli Rector Universitatis eligitur.

Eodem anno Venerabilis Presbyter Paulus Bydżovinus ad S. Gallum in veteri urbe Pragensi Parochus ex hac vita in coelestem 23. Novemb. translatus est, aetatis suae anno 63. climaterico heroico.

Sequenti anno 1560. Martii 5. Lytthomisslia tota fere incendio perit.

Idem M. Matthias Dapsilis Curius ab Hagek,

Praepositus Collegii Regis Venceslai et Administrator sub utraque Coenam Domini Communicantium.

Anno nati Salvatoris 1560. postridie S. Galli Rector Universitatis eligitur.

Hoc anno ad nimiam instantiam et pertinaciam D. Christophori a Lobkowitz Universitas Pragensis pago Horželice, quem a D. Henrico a Chocemicz, atque is a praedicto Lobkowicio mille Sexagenis oppignoratum habebat, accepta sua summa coacta est cedere, et subditos homagio dimittere, quem is paulo post Sigismundo Audrzsky procuratori oppignoravit, tantum meritus de Universitate nostra Pragensi. Porro millenarius iste D. Casparo Granovino a Granow Secretario Camerae Regni B. ad illius sedulam petitionem et pro eo amicorum intercessionem datus est ex communi consensu Magistrorum actu regentium et consilio amicorum mutuo, quo singulis annis usitatum interesse Universitati solvat, et si opus eo haberet, tempestiveque ipsi significatum esset, cum restituere bona fide teneatur, prout literae super ea re confectae latius et plenius omnia exprimunt.

Eodem anno 19. Novemb. emigravit ex hac vita pie mortuus M. Adamus Aquula a Radkowa Zatecenus, civis et archigrammataeus novae urbis Pragensis.

Sequenti anno 1561. Martii 27. die, quae fuit feria quarta post D. Laetare in minore urbe Pragensi puer quidam a ministerio herum suum, dum caperet somnum, per insidias

interfecit, extemploque sublecta pecunia atque torquo aureo profugit eques.

Eodem anno 19. April. incendium horam circiter 14. in minore urbe Pragensi exortum ad 20 aedes absumsit. Fuere, qui id maleficii Judaeis Pragensibus adscriberent, quoniam tres per id tempus a Ferdinando Imperatore solum erant vertere jussi.

Eodem anno apertum est examen pro gradu Magisterii, ad quod 23. Junii comparuerunt coram D. Magistris octo honesti et eruditi Baccalaurei: Petrus Codicillus a Tulechova, Vencislaus Cyrillus Piscenus, Vencislaus Zelotinus Pragenus, Procopius Lupatius Pragenus, Joannes Davus Scutius, Joannes Viti Hradessinus, Martinus Homelius Teplenus, Matthias Racotius a Rakowa, quorum virtus et eruditio cum explorata esset, 20. Septemb. licentia illis publice legendi et explicandi idoneos et probatos autores in Academia est concessa: Deinde 1. Octob. solenni usitataque consuetudine creati et pronuntiati sunt Magistri, eoque titulo ornati.

Georgius Polenta a Sudetis Gullembergenus

Doctor Medicus et Collega, Domus Carolinae Senior

Anno reparatae salutis 1561. postridie S. Galli Rector Academiae electus est.

Eodem anno 23. Decemb. Archiepiscopatus Pragensis, qui circiter annos 130 Rectore vacavit, de voluntate Caesaris Ferdinandi cum consensu Summi Pontificis declarato ac promulgato Archiepiscopo Pragensi Antonio a Muglicz Moravo, Viennensi Episcopo, et ad concilium Tridentinum Legato designato restituitur.

Sequenti anno 1562. Julii 4. venerabilis presbyter M. Joannes Coloniensis, olim professor et Theologus Pragensis, post Archidecanus Ecclesiae Dei in urbe Reginae Hradecio,

deinde et pastor ad aedem D. Nicolai in majore urbe Pragensi, Administrator Consistorii Pragensis sub utraque communicantium, item Rector Academiae obiit. Habentur manuscripta ejus, conciones quas ita vocant Dominicales, praeterea et tabulis brevibus comprehensae, unde de ejus viri ingenio atque judicio aestimare licet.

Eodem anno mense Junio factiones inter sacerdotes sub utraque specie Coenam Dni. communicantium exoriuntur, quorum alii alios haereseos reos egerunt coram senatu Caesareo in arce Pragensi.

Eodem anno 20. Septembris Maximilianus Archidux Austriae II. Ferdinandi filius, Philippi nepos, Maximiliani I. pronepos anno, postquam fuisset designatus Rex Boëmiae 13. cingitur de more ejusdem regni Boëmici Diademate. Sequenti die Maria, Maximiliani II. regis Boh. conjunx augusta in fano D. Viti arcis Pragensis decoratur diademate regni Bohemici ritu solenni atque splendido. Hoc ipso die acti ad vivarium ultra arcem Pragensem ludi equestres.

Eodem anno pestis per urbes Pragenses grassabatur, et Scholae, Balneae, aliique congressus publici, foro duntaxat excepto, per Archiducem Ferdinandum, tum Proregem, sunt interdicti.

Magister Matthias Curius ab Hagek,
Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno recuperatae salutis humanae 1562. postridie S. Galli tertium Rector Universitatis eligitur.

Sequenti anno 1563. Maji 24. impetuosa grando cum imbre atque nymbo decidens magnam segetibus, vix dum arescere incipientibus plerisque in locis attulit calamitatem. Hinc magnae fuerunt inundationes, quae multos piscinarum aggeres perruperunt, unde coloni plurimis damnis sunt affecti. Illorum enim segetes sunt ad terram prostratae, prata vitiata, pecora et armenta submersa, casae corruptae. In pago

quoque nostro Michel et vicinis pagis aliquot homines repentinis aquis obruti et suffocati sunt. Acciditque propemodum haec inundatio per totam Boh. quoniam utrumque flumen insignius, et Albis et Vultava, nimio aquarum decursu actum fuit. Hinc cis Pragam rates et ligna plurima confusa, nonnulla vero sunt ablata.

Hoc anno Gregorius Orinus a Chocemicz Pragenus, artium et Philosophiae doctor, professor in Academia patria primum, post Orator eximius, et supremi Burgraviatus Pragensis judicii assessor morte sublatus est, qui dum vixit, semper de Academia Pragensi bene est meritus. Sepelitur in Nova Urbe Pragensi in aede S. Adalberti inter alutarios.

Idem M. Matthias Curius ab Hayek,
Praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno salutiferi partus 1563. postridie S. Galli quartum Universitatis Rector electus.

Sequenti anno 1564. Jul 25. qui fuit dies D. Jacobo Majori, Hispanorum Apostolo atque Patrono sacer, Viennae Austriae Ferdinandus inclytae piaeque memoriae I. Rom. Imp. Hungariae, Boemiaeque Rex, hora 6. pomeridiana obiit; vixit annos 61, menses 4, dies 14, horas 20, imperavit an. 6. regnavit in Boëmia 37, in Hungaria totidem.

Eodem anno M. Joannes Strialius Zateccnus absolutis iis certaminibus literatis, quae statuta facultatis et usitata consuetudo requirebat, editoque suae eruditionis specimine die 27. Jun. mense et circa fer. S. Galli tandem in Facultatem artium et in Carolinam domum pro professore vocatus et receptus est.

Hoc anno iterum Pragae pestis grassabatur. Quare illustriss. Archidux Ferdinandus, qui sui parentis in regno Boëm. administrationem sustinebat, plagam illam tollere vel saltem mitigare volens, die 11. Octob. ad utrumque Senatum

Pragn. decretum misit, quod die sequenti M. D. Rectori et Magistris est lectum, ut neque in Collegiis, neque in Scholis particularibus scholastici conventus colerentur, neve balnea publica calefiant, et si contigerit in domo quapiam, quemquam mori, illa ut claudatur, et obsignetur. Nundinae quoque seu mercatus, qui circa ferias D. Venceslai fieri consueverunt, omnino interdicti sunt. Quinimo custodes curati sunt, qui ad portas urbis excubias agerent, et ex hominibus peregrinis, unde Pragam veniant, quaererent, et qui ex infectis locis veniebant, ab urbe arcebantur.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek,
Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno salutiferae Incarnationis verbi Dei 1563. postridie S. Galli quintum electus est Rector Universitatis.

Sequenti anno 1565. Junii 26. coepit examen pro gradu Magisterii. In eo approbati sunt septem eruditi viri: Joannes Nicasius Altaemitenus, Vincentius a Macova, Adamus Vlassimenus, Marcus Bydžovinus a Florentino, Venceslaus Iniochus Lytoměržicenus et Nicolaus Rakowsky Pannonius, Nicolaus Aletinus Colonius; illis licentia publice docendi collata est per me Vicecancellarium Universitatis et Rectorem 21. Aug. verum gradus et titulus Magisterii est eis demum collatus in publico Collegii Caroli auditorio 3. Octob. magna pompa illorum, qui ad mercatum Pragam et ad judicium venerunt.

Die 4. et 5. Julii facta est subita ex imbribus montanis et lapsu cataractarum coeli inundatio Muldavae fluminis Pragensis, assurrexitque in eam altitudinum, ut contingeret oculos barbati in arcu sculpti sub Ptochodochio cis pedem Pontis; replevit aream et bibliothecam collegi Reczek et cellas subteranneas collegii Angelici omnium Sanctorum ad aedem D. Nicolai. Notabat obitum Caesaris Ferdinandi, qui

diebus sequentibus Viennae Austriae vitam cum morte commutavit.

Die 15. Aug. cum mandasset Sereniss. Princ. Ferdinandus Archidux Austriae, ut Universitas quoque adsit cum ordinibus regni in deducendo funere Caesaris Ferdinandi, in publica consultatione conclusum est, ut pallia professoribus in usum funeris comparentur publica Universitatis pecunia singulorum Collegiorum, nec habitus sit discolor et diformis a reliquo coetu. Sed ludimoderatores et studiosi, licentiatique ut prodeant togati. Peragebatur autem funus illud 20. ejusdem die, facto initio hora 21. ab omnibus ordinibus, praesente utroque fratre Archiduce Ferdinando et Carolo. Rex enim Maximilianus jam pridem Viennae in Austria funus simile cum ordinibus ejusdem regionis peregerat. Producti erant in ea Pompa certis intervallis equi alii alios sequentes, holoserico insignibus provinciarum Caesaris artificiose ornato obtecti. Illis adjuncta erant vexilla similiter insignibus provinciarum Caesaris artificiose variata, quae gestabantur a primariae nobilitatis juvenibus. Universitati fuit attributus locus, primus quidem ante Senatum Pragensem, secundus vero a Legatis civitatum. Administratores vero cum Pastoribus ecclesiarum consilio quorundam separarunt sese contra vetustum morem ab Academia, rati, se habituros locum magis idoneum, aut ante Abbates regni, aut inter Canonicos prope Archiepiscopum. Sed magna spe deciderunt, quoniam collocati sunt in prima statione sequentes lichnoferos ex plebe mendicorum seniorum collectos. Ea res graviter eis animos et corda torsit, ac si non levi contumelia fuerint affecti. Inde est, quod administratores paulo post protestati sunt, non facile quemquam illis persuasurum, ut sese ab Academia divellant, cum honesta semper fuerit ratio, ut singulis Magistris singuli pastores Ecclesiarum in publicis ejusmodi solennitatibus inter eundum adjungantur. Et ne ordinem Pompae illius lector cupidus sciendi frustra desideret, cum paucis

subjiciam. Illos, quorum mentio facta est, secuti sunt sacrifici Pontificii, unacum vicariis humeralia agnina gestantibus, antecendente ipsos choralium virorum coetu, qui usitate in templis pretio sacras preces cantant. Tandem praecedebant Franciscani et alii monachi induto, ut moris est, singuli ordinis proprii habitu cum scapularibus, ut vocant. Mox egressi sunt discipuli Jesitarum, pueri, adolescentes, viri, patribus ipsorum fidei comitantibus. Post eos ibant legati civitatum pullati, patres, professores Academiae cum suo comitatu immediate Pragensi Senatu sequente. Deinde succedebant praefecti tabularum seu librorum judicialium regni, praeeuntibus quidem notariis et scribis, sive qui Cancellariae serviunt, seu qui in peragendis regni judiciis Cameratico, provinciali, et purgraviali ministrant, sequentibus vero aulicis basilicorum et nobilium et ministris Principum mensae. Mox succedebant Cantores Caesarei cum ceteris canentes lugubria; postea vadebant, primo quidem nobiles, et basilici vulgares provinciarum regni; deinde Abbates infulis et pedo decori, ac tertio loco Praelati humeralibus hermelineis ornati, sequente Reverendiss. D. D. Archiepiscopo Antonio etc. Has turmas comitati sunt praecipui nobiles, et basilici munia et praefecturas regni sustinentes. Inde aliquot equi holoserico atro insignibus regni et imperii exornati ductabantur a nobilibus gestantibus vexilla similiter insignita. Paulo post progrediebantur basilici ex praesidibus regni delecti. Eorum primus gestabat pomum aureum, secundus sceptrum, tertius gladium vagi (na) reconditum, 4. insigne societatis aurei velleris, 5. Coronam regni, 6. Diadema imperii. Illos mox sequebantur 30 Basilici, primarumque familiarum heroës, corpus Caesareum in Sarcotego gestantes, pone sequentibus Ferdinando et Carolo Archiducibus moestis velata facie nigro. Illi omnes exceptis Ecclesiasticis erant pullo amictu vestiti, palliis conformibus ad talos usque propendentibus; ita arcem et illico templum ingressi ordine, inferias Metropolitano accinente per-

agebant, collocato Sarcotego in medio delubri ornati cereis, altiore supra tubam erecto tubulato ac ordine in formam turbinis magni artificiose exstructo, plus quam trecentis. Reliqui quos cura pontificiae religionis non tangebat, neglecto templo ad sua turgustia (sic: forsan tuguria) reversi sunt. Habes breviusculum prolixae pompae denotationem verius, quam descriptionem, quae ostendit Illustriss. Archiducem Ferdinandum, curatorem funeris paterni habuisse in pretio studia, Academiam et professores suos.

Eodem anno 23. Septemb. sive Sabbato post diem D. Matthaeo dicatam sub occasum solis vitam cum morte commutavit M. Matthaeus Philomates Daczicenus, Collega Domus Caroli sedulus, diligensque laborum suae professionis executor, linguaeque ac gentis simul et religionis sincerus zelator adversus Pontificios et alienigenas. Ille, sicut exoptaverat, sepultus est in Sacello nostro Corporis et Sanguinis Dni. in inclyta urbe Nova Pragensi magna funebri pompa civium utriusque civitatis atque ampliss. Senatus.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek
Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno Humanitatis Filii Dei 1565. postridie S. Galli sextum Universitatis Rector electus.

Feria 6. post Luciae Decretum super petitionem Martini Budinensis, quemadmodum certis de causis Martino Budinensi inhibitum fuit, in Scholis ad nostram jurisdictionem pertinentibus manere et officia sustinere, donec coram Rectore Universitatis comparuerit etc. Quare cum 19. Octob. comparuerit, ac rationabilibus causis productis petierit, ut sibi ad scholas redire, illarumque beneficiis sicut ceteris Academiae alumnis gaudere liceret, accedentibus una fratris ipsius D. Georgii Budinensis Bacc. et civis Hradecensis ac aliorum amicorum intercessionibus. Ideo nos Rector et Consiliarii habita

super ea re matura deliberatione communi consensu id ei concedimus, potestatemque facimus, ut gaudere ac frui his bonis, quibus gaudent ceteri omnes Academiae nostrae alumni, possit citra ullum impedimentum.

Die Mercurii post concept. B. Mariae Virginis 12. Decemb. D. Joachimus de nova domo, supremus Cancellarius regni Boëmiae, Eques aurei velleris et S. C. M. Maximiliani II. a secretis consiliis, cum e Vienna Austriae caesio curru domum rediret, rupto medio ponte una cum iis, qui ipsi assidebant, delapsus aqua suffocatus est, excepto uno puero et auriga et equis. Sequenti anno 1566. Martii 3. et postea in Majo memorabilis expeditio parabatur a Caesare Maximiliano adversus Turcos. Foedus enim cum patre Caesaris Ferdinando ictum desiit. Ac Caesari visum est, non esse facienda foedera cum hoste sanguinis Christiani. Secutus est autem consilium ejusmodi: ante annos 4. quo tempore inauguratus, et in regni Boëm. obstrinxit sibi fide data universam provinciarum nobilitatem, postulantem suas confirmari immunitates, ut singuli pro salute communi et fide JESU CHRISTI, si opus sit, una secum in militiam suis proficiscantur stipendiis.

Eam obligationem promulgatis mandatoriis literis repetiit adhibita conditione, si quis per morbum vel senectam nequeat proficisci, ut alium substituat idoneum. Illud si neglexerit, ut omni jure nobilitatis et immunitatibus majorum privetur.

Inde quisque pro se adornabat illam profectionem; aderant Caesari tanquam Boëmiae Regi Ordines Boëmici et Moravici.

Praecedebant eos principum Silesiae ordines et 15 ducatibus pone sequentibus Lusatiis, Variscis et Anconensibus, utpote regni Vasallis. Sed Pragenses et civitates reliquae sunt domi relictae praesidii causa, tantum suppeditarunt pecuniam in stipendiatos regis. Nam elector consensu imperii vastabat Gottam, ubi obsessus fuerat Joannes Fridericus, Saxoniae

dux, Patruelis suus, rebellionis una cum Vilhelmo Grumpachio ceterisque nobilibus damnatus, ne si forte superiores evaderent, aliquid detrimenti per incursiones regnum accipiat. Pertractus fuit ad societatem belli totus Occidens et Meridies. Nam et ex Belgio et ex Italia Reguli ad Caesarem venerunt cum equitatu elegantibus instructo armis. Numerus equitum dicebatur fuisse ad sexaginta, peditum vero ad 40000.

Dux belli fuit designatus Archidux Austriae Ferdinandus. Copiae castra posuerunt ad urbem Jaurinum, vulgo Rabum appellant, quia fuit cognitum, quod Solimannus isthac ad Viennam proficisci decrevisset. Pragae et in civitatibus Boëmiae preces publicae erant institutae pro felici pugna. Ac in Veteri urbe Pragensi in templo Laetae Curiae bis in septimana decantabatur Litania, post secuta est concio Evangelica, et tandem communes recitabantur preces. In nova vero urbe ad aedem D. Henrici idem eademque fiebat hora.

Ad eas preces magna frequentia populi mandato Senatus concursum est. Illic licuisset videre, quanto studio gens illa ad veram pietatem feratur. Illud fiebat in Julio et Augusto mense.

Eodem anno Jun. 4. M. Matthaeus Colinus a Choterina patria Curimenus (Gurima, Kaurzim, vetustissimum in Bohemia oppidum, quibusdam eruditorum virorum censetur esse Kasurgis apud Ptolomaeum) Grajae, Latiaeque linguarum in Academia Pragensi publicus 18 annis professor multoque maximae partis in Boëmia literatorum (imprimis eorum, qui Poëticen colunt) suo tempore praeceptor, fautorque incomparabilis, Pragae in domo sua (hortum angelicum appellant) percussus apoplexia, et hora 12. ab ortu solis ad 22. horam cum morbo conflictatus, qua catarrho sub inde in pectus delabente suffocatus, pie placideque abdormivit. Sequente die multo maxima hominum frequentia elatus in Antiquae Pragae templo seu sacello Bethleem sepelitur. Vixit annos 50. plurima tam theologica, quam philosophica atque

varia partim equestri, partim pedestri oratione scripsit, quorum pars, sed exigua, in publicum edita extat. Cetera majore sui parte cognita tamen, atque lectu dignissima intra privatos parietes, inque tenebris abdita latent; res indigna tam nobili atque praestante ingenio.

Eodem anno 3. Septemb. ad oppugnationem Sigeti mirabiliter mortuus est Solymannus anno aetatis 70. Plerique opinantur fuisse telo ictum ex arce Sigeto, cum voluisset explorare, qua parte adoriri possit. Ille tandem 22. Decemb. devectus est Constantinopolin, atque sepultus in monumento, quod sibi magnis sumtibus constitui jussit. 7. die Septemb. Sigetum, satis firma munitio, non procul a Drano flumine in Hungaria, captum est a Turcis in pugnatione demum 14. In ea Nicolaus Serini, Comes, cum in ponte subditio (sic) adversus hostem procliaretur, fortiter occubuit, vir immortali memoria propter bellicas virtutes dignus.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek
Praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno Domini 1566. postridie S. Galli septimum Rector Universitatis electus.

Sequenti anno 1567. die 5. Febr. M. Paulus Philopatris Melnicenus Academiae Vittebergensis Magister, a qua comendatitias literas attulit et monstravit, primam in hac inclyta schola publica Facultatis Philosophiae consensu habuit disputationem. Quaestio uno (sic) cum intimatione, quam ita vocant, impressa typis exstat.

Eodem anno Calend. Mart. Maximilianus, Ferdinandi I. filius, Philippi nepos, Rom. Imp. Hungariae, Boëmiaeque Rex, ingressus Pragam ejusdem regni Metropolin maxima et solenni congratulationis pompa, honorifice exceptus ab inclyti regni Boh. ordinibus et clero atque Academia Pragensi. De eodem adventu exstant carmina nomine ejusdem Academiae

a M. Petro Codicillo et M. Procopio Lupacio in publicum emissa et impressa.

Eodem anno supplex libellus oblatus est Caesari Maximiliano de reditibus Academiae secundum conclusionem Synodi congregati in arce Pragensi die Lunae post Oculi hunc in modum.

Serenissime et invictissime Imperator et Dne. Dne. noster Clementissime! Non latet nos, decretum esse in Comitiis praeteritis, quae agitabantur praesente vestra S. C. M. in arce Pragensi anno Dni 1567 die 3. Martii, atque inter cetera de restauratione Studii Pragensis conscriptum et conclusum esse articulum nonum, videlicet, ut Directores et Curatores collegiorum Academiae Pragensis diligenter inquirerent omnes reditus cujuslibet Collegii, qui antiquitus eis attributi et constituti erant, praesertim vero, si quae a 10, 20, aut etiam 30 retro actis annis abalienata sint, ac illa quisnam? et quo jure possideat? illudque scripto, altero quidem V. S. Imp. Ma., altero vero supremis regni officialibus atque judicibus exponerent. Eo enim intellecto ac bene perspecto negotio V. S. C. M. Dnum nostrum clementiss. eas initurum esse rationes, quibus studio Pragensi in hoc calamitoso rerum statu consulatur, ut idem studium vicissim ad honorem gloriamque Dei Opt. Max. Vestraeque S. C. M. commodum et regni hujus inclyti ejusque incolarum decus instaurari ac pristinum recuperari possit. Id quod uberius eodem articulo scriptum continetur. Illi decreto V. S. C. M. et constitutioni comitiali nos cum ea, qua par est, animi submissione ducimus esse obtemperandum, ideoque de hoc toto negotio V. S. C. M. prout res sese habet, reddimus rationem. Exstat privilegium illustriss. et sanctae memoriae Caesaris Caroli N. IV., in eo animadvertimus, M. ejus C. fundasse, erexisse atque reditibus auxisse Academiam Pragensem, ac ex historiis colligimus, studium ejusdem Academiae sufficienter provisum, Professoresque in eo omnes liberaliter fuisse su-

stentatos. Etenim singuli habebant attributa sibi certa salaria, et mercedem laboris sui deputatam, eoque pacto et ad industriam atque eruditionem augendam, et ad laborem promovendi studia juventutis accendebantur, excitabanturque. Abundabatque hoc itaque tempore Academia haec Professoribus, qui cum optimas artes atque disciplinas humanitatis et Mathemata docebant, tum linguarum cognitionem proponebant. Aderant omnium facultatum plurimi Doctores, ut Medicinae, Jurisprudentiae et Theologiae, quos propter eruditionem et famae celebritatem innumera multitudo Scholasticorum ac juventutis literariae est sequuta, eisque, ut historiae testantur, adhaerescebant. Fuitque haec maxima causa, quae Gymnasium hoc frequens atque celebre efficiebat. Cum enim tot docti viri tanta agmina studiosae adolescentiae habuerint, perspicuum est, eos justis et sufficientibus praemiis atque reditibus auctos ac liberaliter fuisse instructos. Quibus a rationibus illi reditus et tam munificae donationes vel inciderint, vel ab Academia sint abalienatae, equidem cognosci certo non potest. Sed quantum conjectura assequi licet, opinamur non aliunde accidisse, quam occasionibus strepituque bellorum, quae non multo post mortem Caesaris Caroli IV. sub rege Venceslao et Caesare Sigismundo in regno Boëmiae emerserant, et usque ad tempora inclyti regis Georgii protracta durarunt. Inde evenit, ut in tali rerum omnium perturbatione tumultuque etiam reditus Scholae Pragensi sane bono et sancto instituto atque proposito donati multipliciter dissipati ac dilacerati et diminuti sint, plerique deinceps progressu temporis omnino et interciderint. Bellum siquidem est totius mali omniumque calamitatum fons et origo. Nunc vero pauci quidam et admodum tenues redituum ad Collegia Universitatis pertinentium tantum tituli assignati in regestis nostrorum majorum reperiuntur, quos V. S. C. M. hoc scripto consignatos humiliter exhibemus. Verum per quem et quibus modis illi abalienati sint, quandoquidem Tabulae regni,

quibus inserti et inscripti fuerant, infelici illo et luctuoso casu per incendium perierint, cognoscere non possumus. Illud tantummodo nobis constat, qua ratione census pro graeca lectione Homeri desierit, cum eorundum Comitiorum instituto nobis sit injunctum, ut ad V. S. C. M. deferremus, si quid redituum Universitatis ab annis 10, 20 aut etiam 30 proxime elapsis sit ademptum, id nos submisse promtaque obedientia facimus. Joannes Franciscus Doctor felicis memoriae civis Brunensis testamento legavit stipendium huic Universitati pro sustentando Professore graeco, qui Homerum poëtam in Academia graece proponeret atque enarraret. Eam ipsius voluntatem ultimam et donationem census gloriosus et sanctae memoriae invictiss. Caes. Ferdinandus, D. noster Clementiss. V. S. C. M. genitor Carissimus, primum privilegio, deinde etiam Tabulis regni clementer confirmare et in pagum Poržičžany transferre dignatus est. Hac de re exstat inscriptio in quaternione contractuum coloris caerulei anno Dn. 1543 feria 2. post Bonifacii. Anno 18. Ferdinandus Rex M. Matthaeo Colino stipendium seu censum transfert in pagum Poržičžany. Desiit autem numerari et reddi census ille Professori ab annis 10 continuis. Unde nec ultimae voluntati benefactoris, neque confirmationi S. C. M. satisfit. Quod in causa esse videtur, ut qui exemplo tanti viri et benefactoris ad bene merendum de Academia Pragensi, ad eamque reditibus augendam provocari potuerint, deterreantur, neque eidem pro studiis literarum augendis aliquid donare velint. Ea vero res, ut si quae alia, maxime incrementum studii Pragensis labefactat, atque impedit. Ideoque proceres et Status regni, cum animadvertissent tantum incommodum Universitatis, in generali Synodo habita in arce Pragensi anno Dn. 1561. unanimi consensu petierunt Suam C. M. ut stipendium illud Universitati restitueretur, quo satisfieri testamento atque laudabili et pio D. Joannis Francisci proposito possit.

Porro quibus reditibus hoc tempore fruatur et gaudeat

Academia Pragensis, eos singillatim juxta titulos et inscriptiones Collegiorum assignatos V. S. C. M. offerimus, suntque hi: Collegii Caesaris Caroli IV. patris patriae meritissimi 125. Sex. $1\frac{1}{2}$ gross. 2. den. Boh. Collegii regis Venceslai 26 Sex. 23 Gross. $\frac{1}{2}$ den. Collegii omnium Sanctorum 13 Sex. Gross. Boh. Atque in hisce tribus Collegiis professores degunt, eorumque reditibus fruuntur. Verum in reliquis quinque infra scriptis studiosi adolescentes habitant, vivuntque juxta eorum, qui donarunt, institutum et ordinationem; quorum reditus sunt isti: Collegii B. Virginis alias Reczkonis $45\frac{1}{2}$ Sex. 13 Gross. Boh. Collegii Apostolorum alias Laudae $13\frac{1}{2}$ Sex. 12 Gross. Boh. Collegii Nazareth $38\frac{1}{2}$ Sex. Gross. Boh. Collegii nationis Boemicae alias D. Venceslai $35\frac{1}{2}$ Sex. 8 Gross. Boh. Collegii gloriosae memoriae Hedvigis, Reginae Poloniae $41\frac{1}{2}$ Sex. 7 Gross. Boh.

Hi sunt, invictiss. Imperator, reditus Academiae nostrae admodum tenues et exigui, quibus in tanta praesentis annonae rerumque victualium caritate, difficultate atque penuria nos Professores una cum pauperibus studiosis utcunque sustentamur, collegiaque vetustate labefactata, inque ruinam et interitum tendentia emendare cogimur. Neque nobis ullum est dubium, V. S. C. M. clementer animadvertere, impossibile esse tam parvis stipendiis Academiae praesentes necessitates sustinere posse, nisi eam Deus Opt. Max. sua providentia divina, rationeque nobis plane ignota servaret atque sustentaret. Cum autem V. S. C. M. propensissimam voluntatem suam de restituenda studii Pragensis dignitate atque celebritate satis evidenter explicuerit, in eam spem indubitatam venimus, quod V. S. C. M. eas initura sit rationes, ut Professoribus digno justoque stipendio prospici possit, utque aliarum Academiarum exemplo, quae ubique Regum et Principum liberalitate stipendiisque competentibus foventur, tum et florere et incrementa capere solent, non sine maximo tam regnorum, quam populorum fructu et commodo, in-

primisque juventutis, quae in iis Academiis ad usum Ecclesiae reique publicae instituitur et educatur. Etenim Caesar invictissime, quis jure miretur, Academiam Pragensem a suo statu pristino ita hoc tempore collapsam, si Professores in ea non bene provisos conspiciat; praeterea si consideret Scholares istos et studiosos, antequam in Academiam veniunt, aut paupertatem extremam sustinere, famem, sitim, morbos varios perpeti, aut labore pauperum parentum aliorumque hominum sumtu difficulter sustentari. Qui deinceps in Collegia translati, cum in studiis majorem partem aetatis transegerint, sumtu destituti et sortis melioris desperatione quadam, cum Ecclesiae ac Reipublicae servire, maximeque utiles esse poterant, tum relictis studiis liberalibus ad alia vitae genera transire, ad artesque sordidas declinare coguntur. Atque ita omnis opera et impensa velut in medio cursu ipsis interripitur atque perit; alioquin nostri homines, si melius commodiusque ipsorum studiis prospectum sit, quandoquidem ingenio non sint ceteris nationibus inferiores magis usui esse possint V. S. C. M. deinde etiam regno huic inclyto honori atque ornamento.

Nam et multi excellentes viri nostrae gentis et multiplici eruditione apud exteros aucti in patriam reversi publice docere in hac Academia optarunt, sed cum non responderent ipsorum laboribus stipendia, discedere sunt coacti, ac extra patriam apud exteras nationes cum magna adeoque mortali (sic) ipsorum laude et utilitate vixerunt, hodieque nonnulli vivunt.

Quare V. S. C. M. humillime oramus, ut rationem redituum Academiae a nobis vere simpliciterque expositam benigne recipere, humilem statum ac necessitatem studii Pragensis clementi vultu respicere, ab aerumnis praesentibus et squalore revocare, liberalitateque regia sublevare, atque recreare dignetur, ad Dei Opt. Max. gloriam, Ecclesiae sanctae bonique publici incrementum atque commodum. Et nos,

uti justum est, Deum ardenter et sine intermissione orabimus, ut V. S. C. M. longam et firmam valetudinem, felicem regni hujus aliorumque administrationem, deque hoste omnium Christianorum perpetuo, atque immanissimo Turca gloriosam victoriam conferre dignetur.

Eodem anno 31. Aug. magna exstitit ad Pragam Vultavae fluminis inundatio, ita quidem, ut fere lapideam barbati effigiem sub Ptochodochio ad pedem pontis attingeret, multis civium non pauca illata ea eluvie detrimenta asportatis foeno, ratibus, lignis etc.

Eodem anno 20. Aug. M. Adamus Huberus Merzerczicenus monstrato sui gradus magisterii testimonio ab Academia Vitebergensi, postea quam petiisset se recipi in numerum Magistrorum et Professorum nostrae Academiae secundum praescriptum statutorum primam publice habuit disputationem, et absolutis reliquis est in facultatem receptus.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno Dni. 1567. postridie S. Galli octavum Rector Universitatis electus. Sequenti anno 1568. Mart. 31. decessit Sacerdos Joannes Mystopolus, Administrator Consistorii Pragensis sub utraque Coenam Domini Communicantium et praedicator verbi divini in sacello Bethleem, ubi et inhumatus est.

Eodem anno 24. April. M. Paulus Pressius Gurimenus M. Vitebergensis, ubi satisfecisset statutis, receptus est in facultatem Philosophicam, post et professor factus in nostra Academia. Praeses horum certaminum literatorum, quae tres exterae Universitatis Magistri, de quibus et paulo ante, subierunt et confecerunt. Omnium suffragio electus est Decanus M. Procopius Lupacius ab Hlavaczova.

Hoc ipso anno ad exitum mensis Julii pestilentia coepit grassari Pragae, quo etiam nomine Examen patientiae, vulgo Baeaniam vocant, una cum Comedia Joh. Baptistae est in aliud tempus dilatum. Extincti hac lue sunt complures viri boni dulcis Altricis Academiae nostrae fautores; inter quos M. Joannes Philophilus alias Davus Scutius, domus Carolinae incola professorque publicus 18. Aug. morte sublatus est, et ad aedem divi Galli sepultus.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai.

Anno Domini 1568 postridie S. Galli nonum Rector Universitatis electus est.

Eodem anno accidit tristissimus casus domui Carolinae; Deo enim propter peccata permittente conflagravit habitatio superior in posteriori parte domus versus orientem una cum parte tecti et aedicula ipsi imposita. Accidit ea calamitas ipso die S. Luciae seu 13. Decemb. sirca horam 11. integri horologii Pragae, quo die ante annos 109 decretum factum ab Universitate de profitenda, retinenda et propaganda doctrina religionis sub utraque Specie Coenam Domini communicantium.

Anno sequenti 1569. Nova Bydžovia dotalibus regni Boh. civitatibus 25. Jan. incorporatur.

Eodem anno 9. Febr. D. Thomas Husincius Vodnianus rebus suis melius consultum iri sperans uxorem duxit, et medicam artem magna cum laude et felicitate etiam erga pauperes Scholasticos diligenter et humaniter in Antiqua Praga exercuit.

Eodem anno tempore Quadragesimae apertum est Examen pro honestiss. gradu Magisterii in Philosophia, ad quod admissi sunt 6 eruditi et honesti Baccalaurei: Joannes Ža-

bonius Minicenus, Felix Samuel Pragenus, Matthias Molesinus Statinensis, Jacobus Strialius Zatecenus, Daniel Adamus Pragenus, Adamus Pholossius Pelržimovinus, qui cum egregium specimen suae virtutis et doctrinae in eodem certamine exhibuissent, digni judicati sunt, quibus titulus et gradus Magisterii conferatur. Itaque primum iis 13. Jun. licentia publice legendi et docendi disputandique in tota Philosophia aliisque probatis atque receptis autoribus est concessa. Deinde 20. Jul. per me Rectorem Vicecancellarium Universitatis in magna frequentia studiosae juventutis sunt honestiss. titulo Magisterii condecorati.

Eodem anno 27. April. Sacerdos Henricus, pastor Divi Stephani in nova urbe Pragensi calicem argenteum donavit D. Magistris nationis Boëmicae pro sacello Corporis et Sanguinis D. N. J. Ch.

Eodem anno 2. Maji ante meridiem demum postque meridiem Pragae conspecti sunt tres soles, quos superne Iris conjungebat, de nocte post visae etiam tres lunae.

Eodem anno 11. Jun. M. Procopius Lupacius ab Hlavaczova petiit dimissionem a Collegio Carolino; causam ejus rei attulit, quod apud Senatum Domaž. officium notariatus susceperit.

Eodem anno 20. Jun. insolita Vultavae ad Pragam fluminis exundatio tanta altitudine, ut oculos barbati sua eluvione, etiam monasterium S. Annae attingeret. Ferebant eo tempore per monasterium S. Crucis navigasse plerosque homines. Fuitque haec inundatio damnosa multis; nihilo minus tamen defectus aquae in urbibus Prag. haud mediocris fuit.

Eodem anno die Junii 1. venerabilis presbyter Martinus Melnicenus Pastor Ecclesiae ad aedem D. Nicolai in minori Praga et administrator Consistorii sub utraque Specie Coenam Domini sumentium pietatis et sinceri animi erga Academiam et Universitatem declarandi causa donavit calicem ar-

genteum inauratum cum patina seu operculo et cochleari, atque, ut vocant, corporali et missali pro communione sub utraque Specie, et Sacramenti Corporis et Sanguinis Domini in sacra Synaxi Coenae Dom. in Sacello Corporis Christi sumtione. Id munus ab eo nomine Universitatis est acceptum per me M. Dn. Rectorem, ut in perpetuam donantis memoriam in usus praedictos asservari possit.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno. Domini 1569. postridie S. Galli decimum Rector Universitatis electus.

Sequenti anno 1570. Febr. 6. Pragae hastiludia magno sumtu et apparatu per tres continuos dies exercebantur in praesentia Maximiliani II. Rom. Imp. Electorum Sax. Augusti et Brandeburgensis, Archiducis Ferdinandi, et Alberti Ducis Bavariae, aliorumque tam peregrinorum, quam domesticorum comitum, baronum et nobilium, idque in antiquae urbis Pragensis circulo, ubi praeter alia spectacula varia et admiranda, etiam educebatur draco habens sex pedes et ore vomens ignem, item Perseus alato equo insidens, Medea item venefica cum suo marito Jasone, post Furiae horrendo clangore tubarum in publicum prodibant. Praeterea etiam circumducebatur Elephas, antea nunquam in Boh. visus una cum Leone cavea incluso.

Eodem anno Julii 29. Scholasticus quidam ex ludo arcis Pragensis Choralistarum D. Viti submergitur in fluvio Vultavae ad minorem Pragam ipso momento, cum vix lavari in aquis occepisset, cum ab ejusmodi lotione quidam eum propter pericula non semel prohibuisset, sibi omnino in flumine esse lavandum, etiam cum vitae discrimine, respondit, atque ita periit. Et hoc et alia plurima exempla docent, Diabolum

et in aquis insidiari hominum vitae; saepeque evenire, ut qui amant periculum, in eo quoque pereant.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno 1570. postridie S. Galli undecimum Rector Universitatis eligitur.

Eodem anno magna fuit caritas annonae, unde moti D. Directores collegiorum ad eam summam, quam pro studiosis in septimanam ex veteri consvetudine numerabant, addidere juvaminis loco in singulos studiosos 4 Gross. M. idque pro pane et potu.

Eodem anno 7. Novemb. femina quaedam praegnans animi moerore desiliens ex ponte imposito Vultavae vitam sibi ademit. Ne nos, o pater, inducas in tentationem.

Anno sequenti 1571. mense Febr. Decretum Imp. Maximiliani II. missum ad Pragenses, quo interdictum fuit omnibus Bibliopolis, ne libros Czvinglianorum et Calvinistarum, ac nominatim Petri Martyris Bullingeri, Musculi et similium Theologorum Pragae vendendos proponerent, imo ne quovis modo in regnum inferrent. Si quis vero theologicos libellos vellet Pragam aliunde advehendos curare, eos ut primum R. D. D. Antonio de Mulgitio (sic) Archiepiscopo Pragensi approbandos offerret. Qui secus fecerint, ii poenam amissionis talium librorum et proscriptionis subirent. Hoc decretum 8. Febr. in Curia antiquae urbis Pragensis publice recitatum est.

Eodem anno 30. Martii columnae igneae circa horam mortis (noctis) 3. in coelo supra Domażlicium sunt conspectae, et Draco per totum oppidum tractum ab inferiori porta usque ad superiorem atque etiam ulterius post civitatem volans.

Eodem anno 8. Maji Racone a Praga sex milliaribus dissito oppido natae duae puellae, brachiis in unum concretis ea specie, ac si altera alteram amplexaretur, brevi sunt exstinctae matre tamen superstite.

Eodem anno 26. Aug. ad tertiam noctis horam Pragae conspectae ad solem occidentem sunt in coelo virgae, perque eas hasta transversa instar lunae micantes ad dimidiam horam.

Eodem anno 14. Jun. ad Goltpergam, Lemburgum et Luboniam prodigioso miraculo de coelo pluit piso, rapis, siligine, tritico, quod miseri et famelici homines ubertim divinitus demissum colligebant, panibusque inde confectis inediam pellebant.

Idem M. Matthias Curius ab Hagek

Praepositus Collegii Regis Venceslai

Anno 1571. postridie S. Galli duodecimum Rector Universitatis electus.

Hic annus Academiae tristis et infaustus extitit. Nam 29. Novemb. quae fuit prid. S. Andreae Apostoli, quo ante annos 193 D. Carolus IV. Rom. Imp. et Boh. Rex, pater patriae et Academiae feliciter mortuus est, eo inquam inter 5. et 6. ab occasu solis horam ortus est ignis, non tam fortuito, quam insidiis hostium structus, in superiore parte domus Carolinae anguli occasum aestivalem spectante, quo aedicula sive turricula cum habitatione contigua eaque deserta, et ad ferream plateam sita conflagravit, reliqua pars anguli, tam inferior, quam superior a dextra et sinistra non humana, sed divina providentia sarta tecta conservata est.

Sequenti anno 1572. Jan. 17. portentum ignis in coelo visum Egrae sub mediam noctis horam; id heroico carmine

descripsit, praelo subjecit M. Joannes Goldamerus Egrani ludi moderator.

Eodem anno 18. Jan. nocte, quae hunc diem 18. Jan. praecessit, multis per Boh. in locis conspectum est in coelo ostentum horribile, lineae grandes quasi niveae, interque eas etiam atrae flaviae (sic) ab oriente solis et septentrione sursum ferebantur. Ad haec portio magna nubis sanguinolentae, interdum tamen non continue est visa. Item incendia mirum in modum collucentia; ea partim ad septent. partim ad orientem, partim ad occidentem reciproca quadam progressione non sine spectantium horrore cernebantur, duraruntque ad tres horas ab 8. ad usque 10. noctis horam, Chasmata similesque aëris impressiones. Plinius, tametsi Ethnicus, ait tamen in gentium malorum, ut seditionis, bellorum et aliarum id genus calamitatum esse praenuncia. Turcarum in Germaniam anno D. 1529. irruptionem antegressum est ingens per Germaniam Chasma. Ejuscemodi sicut et alia prodigia non dubium est proponi a misericorde Deo, ut nostrae excitentur mentes ad poenitentiam. Eodem anno 22. Jan. terrae motus fuit inusitatus Oeniponti, ut ultima dies supremi Judicii adesse ab attonitis tanta terrae concussione mortalibus censeretur.

Eodem anno ex unanimi consensu Facultatis Philosophicae aperui pro honore et incremento ejusdem pro honestiss. gradu Magisterii in Philosophia tempore Quadragesimae examen, ad quod 7 honesti et eruditi Baccalaurei comparuerunt, nempe: Trojanus Nigellus Hermannoměstecenus, Georgius Philaretus Horžicenus, Georgius Aquula Horaždiovinus, Sigismundus Heniochus Lithoměržicenus, Joannes Urbensis Mezeržicenus, Georgius Ostracius Racownicenus, Joannes Carihonius Pragenus; quibus vero et severo examine exploratis, et dignis eo titulo judicatis licentiam publice legendi et enarrandi tum Artis, tum alios politioris literaturae libros, item disputandi in gravioribus materiis 5. Maji concessi. Ac

tandem 18. Jun. Magisterii titulo similiter ornavi, et sequenti die etiam in facultatem legitime recepi.

Eodem anno 3. Martii incendium seu ardor coeli visus Pragae, et in quibusdam aliis destrictibus.

Eodem anno 1. Aug. Gitczinum oppidum D. Tržkonum a Lypa excepto templo funditus conflagravit in praeurbio pauculis turgustiolis relictis. Sabbato post Aegidii feria 6. Sept. reparatae sunt fenestrae in auditorio Theologorum domus Carolinae ex consensu facultatis, cui pro ea reparatione nobilis et eruditus vir D. Joannes Gindra a Firstnfelda, alias Famfarum dictus, ex officina sua, quam habuit in littore Vultavae non procul a Ptochodochio ad pedem pontis situm, ubi antea Nitriarius (sic) habitabat, rotularum seu sphaerarum vitrearum sex millia donavit; sumtus reliquos Facultas fecit.

Eodem anno 21. Septemb. ipso die S. Matthaei Ap. Rudolphus, Archidux Austriae, filius natu major Maximiliani II. Rom. Imp. semper Aug. anno aetatis suae 20. Posonii coronam regni Hungariae suscepit.

M. Petrus Codicillus a Tulechowa

Collega Domus Carolinae senior

Anno Domini 1572. postridie S. Galli Rector Universitatis eligitur.

Eodem anno circa initium mensis Novembris coepit ardere cometes, quem Plinius Discum vocat. Forma enim ejus apparuit rotunda, fuitque diversi coloris: nam primum colore flavo et albicante apparuit. Deinde sub initium Decembris habuit rutilum et quasi sanguineum. Postea circa medium Decemb. mixturam quandam admisit, ut de singulis coloribus illis participaret. Hinc rationari (sic) libet, Cometam illum a sidere Jovis et Martis accensum fuisse, quorum Planetarum uterque, maxime vero Jupiter non procul a Dodecatemorio

Tauri, sub quo cometa ille fulsit, abfuit. Occupavit enim eum locum coeli, qui ad gradum 8. Tauri refertur, et latitudinem septentrionalem ab Eclyptica obtinuit circiter gradus 50. Inciditque corpore suo ex aede in sedem Cassiopiae, ac eam partem sedis attigit, cui podex Cassiopiae innititur. Et quia sidus Cassiopiae vicinum est polo mundi, propterea nobis perpetuo apparuit, nec unquam ratione primi mobilis occultabatur. Evenit, ut Cometa ille quoque super horizontem nostrum semper extiterit, in formamque gyri circumvolutus sit, ac pomeridiano tempore, cum jam radii solares declinarent ac obtusiores efficerentur, tempestive cerni potuerit, puta intra horam 2. et 3. post meridiem. Claritas et magnitudo insignis cometae, denique distantia ejus a Zodiaco tanta fuit, ut radii solares eam prorsus supprimere nequiverint, duravitque fere 15 menses.

Sequenti anno 1573. Jan. 17. comparuit S. Paulus Juvenis, Baccalaureus, et Petrus Surculius. Eo tempore, cum audiendi essent, S. Paulus absente reo exposuit suam querelam, quam prius partim scripto, partim narratione, quod Petrus eum incesserit conviciis ebrius obambulando aedes Parochiae, et dixerit: eum falsas conciones toto anno protulisse in templo, et falsa dixisse et mentitum esse, et alia plurima similia, et admonitus, ut redeat in scholam, postea iterum repetiisse ejusdem voces praesente tabellione Administratoris, nec posse ea negare, quia quatuor cives ad se miserit deprecaturos culpam. Et quamquam probare causam possit: tamen, cum sit membrum Academiae, totam causam illam commisit et tradidit in potestatem Rectoris et Consiliariorum. Contra eam querelam Petrus respondit, se non injecisse probra in eum, neque conciones ejus vituperasse, et reprehendisse. Sed cum data fuerit ei occasio a S. Paulo, qui contra ipsum et contra scholasticos concionem instituerit, et ipsum calumniatus publice fuerit, atque tunc dixisse, quod illa fuerit mentitus, quae contra ipsum et scholasticos dixerat

in concione. Auditis hisce et recepta voluntate S. Pauli, quamquam occasio qualiscumque data fuit Petro: tamen quia ulcisci injuriam nullo modo debebat, jussus est ire in Praetorii custodiam. Emissus 23. Jan. e carcere praesente meo Senatu et S. Paulo gratias egit pro castigatione, et petiit culpam sibi condonari, et redigi in gratiam cum S. Paulo. Sententia inter eos ejusmodi dicta est. Cum controversiae cujusque in judiciis ille sit eventus, ut fiat inter actorem et reum pax et concordia, et Petrus Surculius deprecetur culpam, et S. Paulus totam causam Senatui Rectoratus Academiae tradidit in potestatem, et redire in amicitiam expetat: ego autoritate officii mei una cum Consiliariis eam totam controversiam et ea omnia, quae actor et reus contra se dixerunt, egerunt, fecerunt, elevo, tollo e medio annihillo et casso, ita ut in posterum neutri parti nocere ipsorum honestae existimationi et famae possit, et uterque tam reus quam actor nullo modo sive privatim sive publice nulla occasione ea sibi revocare in memoriam debebunt, quod se facturos receperunt et coram Senatu sibi dextras dederunt, et offensam condonarunt.

Eodem anno 18. Martii Matthaeus Philomates Daczicenus artium bonarum Baccalaureus conquestus est de Magistro Joanne Felice Chrudimeno, quod pro consvetudine eruditos viros tam domesticos quam peregrinos turpet, eorum autoritati detrahat, scriptaque publica vituperet, inter quos et ipsum quoque vituperet voce Bacchantis ejus famae quocunque in loco, sive in collegiis, sive in domibus potoriis, quas frequentare crebro solet, detrahat congerendo in eum probra et convicia evulgatis stolidis, jejunis sordidisque styli scriptis pasquillis, quibus asserat vendidisse ipsum sanguinem fratris sui, eo quod jussu Magnifici D. D. Alberti a Craiyco, et autoritate ampliss. Senatus inclytae veteris Pragae in transactione quadam acquieverit. Imo quia neque praeceptoribus neque discipulis parcat, admo-

dum probrosis et spinosis vocibus eos compellans; quam ob causam viros bonos, quos laesit cum indigna Magistro contra Academiae leges perpetret, fugere ejus consvetudinem. Cum itaque ab ipso tam turpiter sit infamatus, ut neque domo pedem efferre audeat, et suo hoc instituto poenas incurrere videatur se petere a Senatu gravi, justo et prudenti, secundum leges defensionem, separatum accusatione probare. Ad eam accusationem aliquot capitibus comprehensam et inusitatam, etsi M. Joannes Felix impetrata forensi dilatione debebat respondere, asseverans, se quoque graviter laesum ab eodem Baccalaureo variis occasionibus: tamen nos cognita occasione litis ejus et controversiae, neque a virtute, neque ab honestis studiis veraque amicitia profecte cum solennia festa Passionis et Resurrectionis Dominicae instarent, et uterque actor et reus ad Coenam Dominicam sumendam sese praepararet, non sumus passi eam litem pendere ulterius, praesertim cum M. Joanni Felici alia quaedam domi forisque obeunda negotia obstarent. At tradita nobis plenaria tam ab actore quam reo potestate ejus controversiae hoc pacto arbitraria ratione inter ipsos componimus. I. Quaecunque inter actorem et reum interciderunt dicta, acta, facta et scriptitata coram quibuscunque hominibus, et quocunque in loco, ea omnia elevamus, tollimus e medio, in nihillum et incassum conversa, ventis et aurae, ut dicitur, committimus, ut nullo modo bonae famae et existimationi sive actoris sive rei nocere possint, neque nunc neque in posterum. Deinde edicimus tam actori quam reo concordiam, ut redeant in gratiam et alter alteri injuriam illatam condonet, et illam neque verbo neque facto, imo neque ulla occasione in memoriam revocet sub poena delinquenti secundum leges praescripta; quod uterque facturum se recepit. Eam transactionem utraque pars acceptavit, et futurae benevolentiae et amicitiae mutuae datis sibi mutuo dextris coram Senatu evidentissima signa dederunt.

Eodem anno 8. April. Samuel Baccalaureus Nymbur-

gensis citatus, cur absolverit a schola Matthiam Succentorem facti sui causas reddit has. 1. Feci id voluntate Senatus, et mandato ejus eum absolvi. 2. Propter negligentiam ejus in pueris informandis, quam ille emendare noluit. 3. Primatem urbis esse conquestum de eo, quod per totas vagetur noctes et bibat, neque redeat domum nisi mane, et ebrius doceat pueros; item saepe abducat adolescentes secum in diversoria, eosque suo pravo exemplo corrumpat. 4. Cum aegrotus fuisset Cantor diebus Epiphanias, quod in templo voluerit motetam decantare ignotam scholasticis et prohibitus a Baccalaureo, quia e templo comtemta autoritate ejus et pia cantatione discesserit, neque redire voluerit. 5. Cum instrumentum noctu jusserit ferri ad viduam quandam et Bacc. prohibuisset, et illud a puero recepisset, voluissetque redire potius Succentorem domum, quam illic manere, tunc Succentor venit stipatus sodalibus laicis in scholam et molestia affecerit pulsando, clamando et tumultuando ceu ebrius adeo, ut Bacc. coactus fuerit e lecto surgere et eum objurgare. 6. Quia primas dixerit, cives nonnullos jurasse, se nolle beneficia praestare scholasticis, quam diu Succentor in eadem schola permanserit. Ideo coactum se fuisse etiam mandato Senatus ei dare veniam,

Matthias Succentor ad ea respondit: Possum confutare accusatorem meum facile. 1. Uti accusat me negligentiae, et eam non emendem, ego emendo, et si quando recuso facere, tum postea facio, et ejus impleo voluntatem. 2. Quod ad scholasticos attinet, quod eos abducam, ego non abduco eos, sed illi aliquando soli manent in hospitiis. 3. Ubi dicit, me per totas noctes manere foris; ego vero dico, quod non veniam in domos neque exeam, nisi absoluto meo labore prius in schola, et non exeo, nisi aliquando cum amicis, qui hoc petunt. Ac Bacc. suum errorem non considerat, cum per totum diem potat, et mane postea ad labores non surgit; me videt, et se non adspicit. 4. De vidua, quod dictum est, quod

in gratiam suorum provincialium et popularium, qui eum petebant, illuc iverit et miserit pro instrumento. Sed Bacc. ebrius ei, quia illuc acceperit, et ipse iverit in scholam pro illa, ac Bacc. ex cubiculo prosiluerit cum gladio, et illum percusserit, et ipse fuerit coactus se defendere, et id, quod fecerit, ut arceret injuriam, qua scholasticos adficit Bacc. cum solet eis expensionem surripere, sic ut ipse haec bene intelligit, et illa injuria, quod impulsus repetierit instrumentum. 6. Quod dicitur de Senatoribus, quia ipsi sint inimici, quod dicat, eos humaniter secum colloqui et bibere, ipsum quoque nullam illis praebere causam certaminum: ac Bacc. quia cum civibus contendat et litiget, atque errorem suum non videat. Ad haec ipsum nullus Senatorum propter ulla peccata arguat, ideo non debere illi fieri eam contumeliam, ut discedat ab ea schola.

Adversus illa quaedam Bacc. se negare, ubi accusatur, quod expensionem surripuit scholasticis, quia potius e proprio addat eis, et pro patinis abluendis aliquantum reservet. Dictum, ut, si fieri potest, amice componant inter se controversiam per amicos et arbitros, et cras sive composuerint, sive non, ut hora 14. compareant.

Nos itaque Rector et Magistri Consiliarii 9. Aug. auditis evidentibus causis et rationibus malevolentiae et discordiae Samuelem Baccalaureum (inter) et Matthiam Succentorem ejus magis imprudentia, quam consilio exortae, concessa nobis ab utroque tam reo, quam actore plenaria potestate, cum intelligamus, eundem Matthiam velle mutare locum circa ferias D. Georgii imminentis, hoc pacto inter eos benevolentiam mutuam et concordiam restituimus. Primum omnem malevolentiam et omnes causas, quae inter eos dissensionem faciebant, e medio tollimus, in nihilum vertimus ita, ut neutri illorum tam actori, quam reo nocere nunquam bonae famae ulla ratione possint. Deinde edicimus utrique, ne alter alteri vel dicto vel facto nocere studeat, sed cum eo colat pacem

et amicitiam, et Matthias ut ad ferias D. Georgii imminentes suum munus in eadem schola Nymburgensi sub obedientia sui Baccalaurei gnaviter obeat. Quodsi alterutra pars excesserit, poenae secundum leges illi irrogandae subjacebit. Huic transactioni actor et reus assensum dederunt, eamque in signum benevolentiae et amicitiae datis sibi mutuo dextris acceptarunt.

M. Matthias Curius ab Hagek
Praepositus Collegii Regis Vencesilai

Anno Domini 1573. postridie S. Galli tredecimum Rector electus est.

Sequenti anno 1574. Jan. 3. hora 14. in Guttebergensi suburbio dicto Colloniensi prodigioso partu nata est puella habens duo capita, parentibus Joanne Rzezacz et Dorothea, uxore ejus. Fuit autem foetus abortivus, nam 7. mense editus est in lucem.

Eodem anno 25. Maji emigravit ex hac vita nimium aerumnosa in illam coelestem ac beatam Cyprianus Leovitius a Leovitia, patria Reginae Hradecensis ad Albim et Orliczam, natione Bohemus, mathematicarum disciplinarum illustrator, quod ejus monumenta, quae typis expressa in publicum emisit, testantur. Sepultus Dilingae in Bavaria, ubi cum magna laude et utilitate publice disciplinas Mathematicas et bonas artes docuit, carus et acceptus illustriss. principi Casimiro, duci Palatino, et cetera.

Rectoratus XIV. ejusdem.

Anno christiano 1574. postridie S. Galli est electus in Rectorem studii Pragensis M. Matthias Curius ab Hagek, Praepositus Regis Vencesilai Collegii, alias Caesarei.

In mense Novembri chasma, seu ardere coelum visum est, et quidem ab occasu usque ad ortum solis duravit.

Decembr. 13. Selymus, Turcarum tyrannus, correptus ardentissima febri moritur, succedit ei in imperio Turcico Amurathes, ejus nominis III. Selymi filius, natus annos 27.

Ao. 1575. Rudolphus Maximiliani II. filius, Pragae in templo Cathedrali solennibus ceremoniis Rex Bohemiae Septemb. 22. declaratus, et inauguratus est, cum ante triennium eodem mense, anno videlicet 1572. Posonii in magna Procerum frequentia diadema etiam Hungaricum accepisset.

Anno eodem in Octobri Gregorius XIII. Pontifex Romanus remissionem peccatorum per Italiam et Galliam vendidisse dicitur.

Rectoratus XV. ejusdem.

Anno 1575. postridie S. Galli idem M. Matthias Curius ab Hagek est Academiae Rector electus.

Ao. 1576. Maximilianus Imperator cum comitia Ratisbonae celebraret, et jam sub finem comitiorum Recessus lectus esset, optimus ille prudentissimusque Caesar, curis partim confectus, partim longa corporis aegritudine, inter ingentes calculi dolores debilitatus, optime meritam de Christiana Republica et ecclesia animam 12. Octobr. Deo tradidit, cum quinquagesimum aetatis annum attigisset; imperavit ann. 12. regnavit in Bohemia cum patre a prima sui electione ann. 27. solus ab obitu Ferdinandi, patris optatissimi ann. 12. in Hungaria ann. 13. Successorem habuit Rudolphum ejus nominis II. qui superiore anno, vivo adhuc parente, Novembr. 1. in Cathedrali Ratisbonensium templo consuetis ceremoniis coronatus et inauguratus fuit.

RVDoLphVs IMperator AVgVstVs.

Hunc Imperatorem Maximilianum paucis post diebus secutus est Fridericus Palatinus Elector, qui cum aetatis annum sexagesimum ageret, Heidelbergae mortuus est. Ei decendenti Ludovicus grandior natu filius in Electoratu successit. Hic confessionem Augustanam subditis suis, pater enim Helveticam introduxerat, magno cum Ordinum Imperialium applausu restituit.

Rectoratus XVI.. ejusdem.

Ao. 1576. postridie S. Galli idem M. Matthias ab Hagek Curius Rector est Academiae constitutus.

Octobr. Idibus Julius Dux Brunsviczensis novam Helmstadii scholam seu Academiam aperuit, multisque bonis proventibus liberaliter dotavit, filio suo Henrico Julio primo ejus Rectore designato et constituto.

An. 1577. Octobr. 21. placide ex hac vita emigravit Georgius Rosinus a Javornik, alias ab Auhorn, tabularum regni Bohemiae, ut vulgo vocant, Ingrossator, dieque sequente ad D. Benedicti in majore urbe Pragensi est sepultus.

Rectoratus XVII. ejusdem.

Ao. 1577. postridie S. Galli eidem M. Matthiae Curio ab Hagek, Praeposito Collegii Regis Vencesilai alias Caesarei Magistratus Academicus est prorogatus.

Sub mense Novembri Matthias, Archidux Austriae, ab Ordinibus in Belgium, Caesare et fratre suo inscio, in Decembri ejusdem anni Praeses et Gubernator Belgii est constitutus.

Eodem anno Novembr. 4. cometa post solis occasum prolixa coma ad ortum porrecta apparuit, et per dies conti-

nuos 62 fulsit, donec paulatim magnitudine attenuata disparuit.

Sub exitum hujus anni induciae sunt factae ad annos 8. inter Rudolphum Caesarem, et Turcicum Imperatorem, quod Persarum Regem bellum moliri cognovisset.

An. 1578. Gregorius XIII. Pontifex omnibus sub Joanne Austrio in Belgio militantibus remissionem peccatorum per literas annulo piscatorio obsignatas largitus est.

Mense Julio Hispaniarum regi filius ex Anna Austriaca Maximiliani II. Imperatoris filia, Rudolphi Caesaris sorore natus est, et cum ex sacro fonte levaretur, Philippi nomen obtinuit.

Rectoratus XVIII. ejusdem.

Anno 1578. postridie S. Galli M. Matthias Curius ab Hagek rursus Rector Academiae est constitutus,

Octobr. 26. aetatis 38. sacerdotii 18. mortuus est Dubae S. Vencesilaus Melissaeus Krtenus, olim sacellanus Zateczensis, deinde Decanus Lunensis, postmodum Pastor Dubae.

Ao. 1579. Maji 12. Glatovia, urbs regni Bohemiae tota fere horribili incendio periit. De ea Joan. Hinconius:

VVLCano eXVperante rVIt GLatoVIa, MaII
LVX bIs seXta CItIs CVrrIt Vt orta poLIs.

Rectoratus XIX. ejusdem.

Ao. 1579. idem M. Matthias Curius ab Hagek electus est Rector Academiae.

Decembr. 14. moritur Pragae generosus, atque magnificus Dn. Dn. Henricus a Waldsstein, Baro in Dobrovicio et Charvaticziis.

Ao. 1580. April. 12. a Caesarea Majestate allatum fuit decretum, ut omnium Privilegiorum originalia Magistri Professores in Academia Pragensi causa collatinationis (sic) in Bohemica cancellaria deponerent; verum cum se per supplicem libellum excusarent, quod id fieret in praejudicium Academiae, et contra fidem illorum, quam dederunt toti Universitati, promittentes se velle privilegia et bona ejus omnia conservare, petitioni et excusationi Caesarea Majestas locum dedit, ac concessit. Hoc cum Adversariis non successisset, rursus aggressi sunt aliam viam, et de Collegio omnium Sanctorum, alias angelico, occupando Praepositus et Decanus templi Pragensis cum suo Capitulio cogitarunt; et varias machinationes adhibuerunt; sed ne hoc quidem, ita Deo benedicente, successit, licet acriter instare, modo per supplicationes ad Caesarem, modo per criminationes et minas coeperint; Deus tamen, qui Pacis, et non dissensionis est autor, eorum temeraria et superba flabra sua Clementia placavit, et sopivit.

Rectoratus XX. ejusdem.

Anno 1580. M. Matthias Curius ab Hagek Rector Academiae est designatus.

Octobr. 25. Maximiliani Caesaris filia, soror Rudolphi Imperatoris et uxor Philippi regis Hispaniarum vitam cum morte commutavit.

Sub annum 1581. Sigismundus Battorius in Principem Transsylvaniae est electus.

Eodem anno Basilides Moscus filium suum scipione ferrato percussit, et interfecit, eo quod seditionem populi contra eum excitare ausus fuerit; et cum filius in terram collapsus, totusque cruore madens negaret, se nullius (sic) conspirationis, neque seditionis autorem fuisse; tum pater ejus jam vix spirantem, ex furore in poenitentiam versus attollere

conatur, et suum infortunium deflet. Filius vero audito adhuc patris clamore sibi quidem dixit ab eo sanguinem et vitam ereptam esse, a quo vitam sanguinemque accepit; interim se optare, ut patri terrarum omnium contingat imperium, utque felicius in hostes, quam in filios, ferrum stringere discat. Et his dictis animam efflavit.

Rectoratus XXI. ejusdem.

Ao. 1581. postridie S. Galli M. Matthias Curius ab Hagek Rector studii Pragensis designatus est.

Novembr. 28. M. Matthias Archidux abdicata a se provinciarum Belgicarum administratione, et petito ab Ordinibus commeatu Antverpia discessit, a quibus cum annua centum et viginti florenorum millia, dum in Belgio esset, accepisset, etiam absenti quinquaginta millia promissa sunt. Annus hic 1582. toti Bohemiae luctuosus fuit, propter pestem, quae vehementer per totam nostram patriam grassabatur, et multa millia hominum permessuit, neque doctis et indoctis, neque viris et feminis, neque adolescentibus et virginibus pepercit, sed aequo pede pulsabat pauperum et regum tabernas.

Eodem anno Machometes Amurathis filius cum magna solennitate circumciditur. Initium hujus solennitatis factum est 28. Maji, et 9. Jul. circumcisus est a Machumete Bassa, qui tonsor olim Solymmani fuit. Pueri edicto Caesaris ad circumcisionem evocati tanto numero confluebant, ut vix triginta chirurgi per diem noctemque operi faciendo sufficerent. Illi omnes publice, Machometes vero in conclavi patris solus circumcisus est. Inter alia spectacula ajunt prodiisse virum incredibili robore praeditum, ut stipitem, quem vix 12 viri humo totis viribus connexi tollere poterant, ipse manu in altum levabat, et non manu, sed humeris excipiebat. Stratus humi, et catenis ferreis per humeros et femora trajectus, praegrande saxum, quod vix decem viri provolvebant, sibi

impositum, et quatuor viros ligna findentes supino ventre sustinere pro ludo ducebat, soleam ferream equi recens fabricatam dentibus et manibus confringebat, vomeremque ictu pugni rumpebat.

Rectoratus II.

Magistri Petri Codicilli a Tulechova

Praepositi Collegii omnium Sanctorum.

Anno 1582. electus est in Rectorem Universitatis studii Pragensis M. Petrus Codicillus a Tulechova, Praepositus Collegii omnium Sanctorum.

Octobr. 27. Wratislaus a Perssteyn supremus regni Bohemiae Cancellarius mortuus est. Vixit annos 52, menses 3, et dies 5.

Sub finem hujus anni Calendarii emendatio a Gregorio XIII. Pontifice Romano promulgata fuit, sed non successit. Caesar enim in Comitiis Augustanis sub exitum eorum de Calendarii istius novi promulgatione deliberationem instituit, ubi principes, quos vocant Protestantes, emendationem, non quod temere suscepta et supervacanea esset, sed quod Pontifex Romanus eam inconsulto Caesare, ad quem officium id pertinebat, et non requisito Principum Ordinumque Imperii consensu instituisset, verbaque Jubemus et Volumus edicto suo inseruisset, rejecerunt. Ideoque Caesar totum hoc negotium distulit, et veterem formam hactenus usurpatam in Camerae judiciis eo anno adhuc servari mandavit.

Ao. 1583. Mart. 23. evocatus est hac mortali vita vir clarissimus et senex venerandus M. Matthias Curius ab Hagek Praepositus Collegii Regis Vencesilai, alias Caesarei, qui administrationem Consistorii sub utraque Communicantium per aliquot, et Rectoratum in Academia Pragensi per unum et viginti annos sustinuit.

Rectoratus III. ejusdem.

Ao. 1583. postridie S. Galli M. Petrus Codicillus a Tulechova in Rectorem studii Pragensis est electus.

Anno eodem Gebhardus Truklesius a Walburgo, Archiepiscopus et Elector Coloniensis desponsata sibi primum conjuge Agnete, comitissa a Mansfeld, in suis omnibus ditionibus liberam Confessionis Augustanae religionem concessit, ob quam causam a Pontifice excommunicatus, et archiepiscopatu, et electoratu est privatus. Narrant huic Agneti, dum apud patrem Joann. Georgium, Comitem a Mansfeld, Hieronymum Scotum Placentinum Magum inspecta manu ejus consuluisse, ne alicui nuberet. Nam si nupseris (inquit) futura es causa magnae profusionis sanguinis, et exitium tuum (sic) marito.

Ao. 1584. Calendarium novum coepit in Bohemia, et aliis regionibus ad eam pertinentibus, institutum antea, et promulgatum a Gregorio XIII. Pontifice, et hoc anno cum consensu omnium trium Ordinum Regni Bohemiae in comitiis receptum, per decretum Imperatoris Rudolphi publicatum. Atque hic omissi sunt illi 10. dies ex Calendario; et pro 7. Januarii, quae erat postridie Epiphaniae Domini, scribebatur et numerabatur 17. die Januar. Quam ob causam dilatum fuit Judicium Camerae ad diem Reliquiarum, ut vocant Swatostj.

Anno eodem Mart. 26. Jvan sive Ioan. Basilides, Moskovitarum tyrannus, post graves dolores, ab animalculis ex putredine intestinorum natis dilaniatus multo cum gemitu et miserabili vocis boatu animam efflavit tyrannicam; postquam annos quinquaginta sex et septem menses vixisset imperiumque triginta novem annos obtinuisset. Post ejus mortem Theodorus filius viginti annorum adolescens Theodori Godovii filia Irene in uxorem ducta cum ea 28. Januarii ad imperium inauguratus fuit.

Eodem anno sancita est induciarum inter Rudolphum

imperatorem et Amurathen Turcum prorogatio ad annos novem. Ad eam prorogationem confirmandam missus est a Caesare Henricus, Baro Lichsteynius, qui cum muneribus Constantinopolin profectus ab Amurathe confirmationem impetravit.

Rectoratus IV. ejusdem.

Ao. 1584. postridie S. Galli idem M. Petrus Codicillus a Tulechova Academiae Rector est designatus.

Annonae caritas et Banditarum tragoedia Romanis molestiam hoc anno exhibuit.

Ao. 1585 April. 10. Gregorius XIII. Pontifex Romanus vitam cum morte commutavit. In locum ejus electus Felix Perenettus, Franciscani olim ordinis Monachus honestis sed tenuioris fortunae parentibus in agro Anconitano natus, vir jam provectae aetatis, cui Sixti V. nomen datum est.

Maji 17. vir clarissimus M. Vencesilaus Zelotinus Pragenus a formoso Monte, medicinae Doctor, Collegii Carolini Senior in immortalem ex hac mortali vita sublatus, et in templo S. Adalberti sub Rupibus (ut vocant) est sepultus.

Rectoratus V. ejusdem.

Ao. 1585. electus est in Rectorem Academiae M. Petrus Codicillus a Tulechova, Praepositus Collegii Regis Vencesilai etc.

Hoc anno Robertus Bellarminus contra fidem Jesuitici ordinis sui Cardinalis est factus.

Ao. 1586. Septembr. 10. mortuus est M. Joan. Crispus Pragenus collega domus Carolinae et postea sepultus est in sacello Corporis et sanguinis Christi.

Rectoratus VI. ejusdem.

Anno 1586. prorogatus est magistratus Academicus M. Petro Codicillo a Tulechova etc.

Febr. 7. anno 1587. exiit decretum S. C. Mtis quomodo cuique sit vivendum in urbibus Pragensibus non tantum peregrinis, sed etiam domesticis et ne uteretur armis vel ad defensionem vel offensionem.

Febr. 18. Maria Scotiae regina, quae Jacobum VI. Angliae et Scotiae regem peperit, omnium trium Ordinum Angliae judicio, quod Parlamentum vocant, mortis rea judicata, securi percussa est.

Rectoratus VII. ejusdem.

Ao. 1587. die Sabbathi post festum S. Martini facta est electio Rectoris Universitatis Pragensis, in qua electus est M. Petrus Codicillus a Tulechova, Praepositus Collegii Regis Vencesilai.

In Polonia hoc anno mors Stephani regis Grodnae in Lithuiania Decembr. 12. magnam de regno contentionem excitavit; alii enim Sigismundum Suecum, alii Maximilianum Austriacum, Caesaris Rudolphi II. fratrem eligebant. Itaque utroque regnum sibi vendicante, ad arma deventum est; quibus superior Duce Samoscio regni Cancellario Suecus 21 annorum juvenis Dantiscum advenit, indeque in Poloniam concessit, ubi coronam et liberam regni possessionem 27. Decembr. Cracoviae, Maximiliano in proelio capto, adeptus est.

Ao. 1588. De hoc anno multi Astrologi male sunt ominati; praedixerunt vel eum toti mundo fatalem vel novissimi diei adventum, vel multa inexspectata et admiratione digna allaturum. De eo exstant versiculi:

Post mille expletos a partu virginis annos
Et post quingentos rursus ab axe dies.
Octuagesimus Octavus mirabilis annus
Ingruet, et secum tristia fata trahet.
Si non hoc anno totus male concidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruat,
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque deorsum
Imperia, et luctus undique grandis erit.

Rectoratus VIII. ejusdem.

Ao. 1588. Octobr. 17. electus est in Rectorem Universitatis studii Pragensis M. Petrus Codicillus a Tulechova.

Ao. 1589. Henricus III. rex Galliae a Monacho Dominicano cultro venenato in legendis litteris, quas ipsi adtulit, occupatus interficitur, et postridie ejus diei Henricus IV. Navaraeus, rex Galliae publice salutatur.

Septembr. 15. U. J. Doctor Matthaeus Codicillus a Tulechova, reipublicae antiquae urbis Pragensis Cancellarius ex hac vita emigravit, et postea 17. Septemb. in templo Divi Stephani majoris est sepultus.

Rectoratus M. Marci Bydzovini a Florentino.

Anno 1589. Cum M. Petrus Codicillus a Tulechova resignando officium rectoratus pro more solito in ipso actu apoplexia esset correptus, et in dies morbo ingravescente pejus haberet, dilata fuit electio novi Rectoris usque ad 3. Novembr. Et tum primum est electus in Rectorem Academiae M. Marcus Bydžovinus a Florentino, Praepositus Collegii Regis Vencesilai.

Octobr. 29. vir clarissimus et doctissimus M. Petrus Codicillus a Tulechova hora 18. vitam hanc mortalem cum

immortali commutavit, et postea in templo S. Stephani majoris est sepultus.

Ao. 1590. Sixtus Pontifex annum aetatis septuagesimum agens, postquam pontificatum annos quinque, menses 4 et dies 3 administrasset, Romae 27. Augusti mortuus est. Is primo anno pontificatus sui juvenem suspendio damnavit, quod Curiae ministris asinum non suum postulantibus simpliciter restitueral. Ita vicarius suum dominum, qui Hierosolymam ingressurus, imitatus est. Hic juvenis cum ad supplicium duceretur, sanguinis guttas pro lacrimis fudisse dicitur. Huic Sixto in pontificatu successit Joan. Baptista Castanaeus, qui postea Urbanus VII. dictus est, sed hic secundo statim die post electionem morbo correptus 13. die pontificatus sui, qui erat 27. Septembris annum 70 agens vita functus est. In hujus locum Nicolaus Sfondrata Mediplanensis, Gregorii XIV. assumto nomine Decembr. 5. suffectus est.

Eodem anno post gravem controversiam cum Senatu novae urbis Pragensis de quibusdam fundis ad pagum Michel adjacentibus facta est transactio, ac praeter impensarum refusionem in perpetuae benevolentiae argumentum, idem Senatus se suosque posteros obligavit, ut Magistri in eorum republica volentes vivere gratis Jus Civitatis adipiscerentur et assequerentur.

Rectoratus II. ejusdem.

Ao. 1590. postridie S. Galli M. Marcus Bydżovinus a Florentino est Rector Academiae constitutus.

Sub initium Decembris promulgatum est decretum S. C. Mtis in quo defensionem partis sub utraque specie communicantium sancte pollicetur. Causa fuit hujus decreti; quia rumor percrebuit, Pontificios circa Natalem Domini constituisse, templa sub utraque specie communicantium invadere, et in eis omnes sacras conciones audientes enecare. Ideo nocte

illa, loca publica custodiis vigiliisque erant munita, et cives armati ad sacra peragenda in templa veniebant. Sed Dei gratia omnia tranquille illa nocte et sequentibus diebus sunt peracta.

Ao. 1591. Octobr. 15. febre ardentissima correptus Gregorius ejus nominis XIV. Pontifex Romanus moritur; decem mensibus, totidemque diebus pontificatum administravit. In ejus locum successit 21. Octobr. Joan. Antonius Tachinetus Innocentii IX. nomine assumto: sed et ille die 29. Decembris correptus febri ardentissima exstinctus est. Ferunt Romae per annum hunc morbo plus quam sexaginta hominum millia periisse.

Eodem hoc anno insignis quidam Chymicus Monachus, dictus Marcus Bragadinus, ex Italia Monachium venisse dicitur, cujus Bavariae dux artes dolosas et diabolicas subodoratus, in carcerem eum compegit, et postea lata in eum sententia, novum patibulum aurichalco obductum fieri curavit laqueo inaurato in medium appenso et juxta patibulum pegma excelsum et sella. In qua cum consedisset, caput ei a carnifice, duobus ejus canibus, quibus turpiter ad artem istam fuit abusus, sclopetis prius interfectis amputatum est.

Rectoratus I.

M. Trojani Nigelli Herzmanomiestceni.

Ao. 1591. Octobr. 17. M. Trojanus Nigellus Heržmanomiestecenus ab Osskorzina constitutus est Rector Academiae.

An. 1592 exeunte mense Januario in locum defuncti Innocentii IX. Pontificis Romani Hippolytus Aldobrandinus Florentinus, a legatione, quam in Bohemiam fecerat antea satis notus, in Pontificem est electus Clementis VIII. nomine assumto.

Jun. 6. in praesentia Patronorum et Amicorum Academiae omniumque Professorum, unanimi consensu ex testamento Doctoris Joan. Francisci a Regio monte, lectio Homeri sive professio graecae linguae, assignata et data est Doctori Adamo Zaluzanio a Zaluzan, ut stipendium olim pro ea constitutum in annos singulos, nonaginta sexagenas exigat et reciperet pro eaque opera, quam diu volet et libitum erit etiamsi (Deo sic volente) uxorem ducat, professione illa libere utatur sine ullo Academiae et Facultatis impedimento.

Mense Majo Sigismundus Poloniae Rex cum Anna Caroli Archiducis Austriae, Carinthiae et Stiriae Ducis, Rudolphi Caesaris patrui filia, nuptias Cracoviae in Polonia celebrat.

Rectoratus II. ejusdem.

Ao. 1592. postridie S. Galli M. Trojano Nigello ab Osskorzina prorogatus est Magistratus Academicus.

Ao. 1593. mense Martio Pragae sunt habita comitia, ut Status et Ordines praecedens auxilium et tributum ad tres adhuc annos continuarent, et copias alias ad finitima loca Turcarum custodienda, ad bellum conscriberent easque alimentis, apparatu bellico, et rebus omnibus necessariis instruerent; et si Caesar adversus hostem illum proficisci vellet, ut impensas et copias duplicarent. Dura haec ipsis primo videbantur; sed cum Turcicas vires quotidie augeri, oppida et arces in Hungaria occupari, provincias spoliari homines infinitos in servitutem abripi audirent, certum equitum peditumque numerum suis sumtibus sustentare et iis stipendia menstrua persolvere decreverunt. Ideo anno hoc multa et varia cum Turcis bella sunt commissa, a Christianis arces et civitates aliquot expugnatae, ut Sisekum, Filekov et tota illa regio vicina cum suis oppidis, pagis et propugnaculis est in potestatem Christianorum redacta. A Turcis vero Vesprimum, Palata, Papa occupata et expugnata.

Rectoratus Doctoris Adami Zaluzanii a Zaluzan.

Ao. 1593. die lunae post festum S. Galli electus est in Rectorem Universitatis Pragensis Adamus Zaluzanius a Zaluzan, Medicinae Doctor et collega domus Carolinae: et cum postea sequente anno Jul. 10. duxisset uxorem, exagitatus multis et variis Professorum calumniis et odiis propter conjugium a Deo institutum, volens nolens Professionem deserere coactus est, et officio Rectoratus, in ejus locum substituto M. Trojano Nigello ab Osskorzina, privatus est.

Ao. 1594. comitia Ratisbonae sunt ab omnibus principibus et Ordinibus Imperii celebrata, et ut omnia rectius peragerentur ipse Caesar iis interesse voluit.

Septembr. 29. Jaurinum in Hungaria urbs munitissima, ampla et populosa, episcopali sede insignis, Comitis Hardekii proditione Turcis est proditum et in potestatem eorum redactum. Tanta trepidatio in Hungaria, Moravia et Bohemia fuit ob hoc propugnaculum (quod fuit non tantum Hungariae sed omnium finitimarum regionum antemurale) ut omnes in armis fuerint omnesque arma, arma clamitarint.

Rectoratus III. ejusdem.

Ao. 1594. postridie S. Galli electus est in Rectorem studii Pragensis M. Marcus Bydžovinus a Florentino.

Decembr. 27. Henricus IV. rex Galliae et Navarrae post mutatam religionem a Johan. Castellio lanificis cujusdam Parisiensis filio et collegii societatis Jesu, cui nomen Cleromontium, studioso, cultro jugulum ejus petente, vulneratus, et dum guttur regis confodere nititur, per maxillam illius in dentes impegit, et dentem unum fregit. Unde postea factum, quod Jesuitae Parlamenti sententia ex toto regno Galliae proscripti fuerint.

Ao. 1595. Amurathes e. n. III. Turcarum imperator, Selymi filius cum annum aetatis 48. ageret, vitam imperiumque cum magno ululatu, multa blasphemia et impatientia finiit; post eum Mahumetes est ad imperium evectus, ferus et sanguinolentus; fratres enim suos omnes numero novemdecim, ad prandium in Palatio vocatos laqueo suffocari, uxores Amurathis patris in mare projici jussit; matrem vero propriam in longinquam provinciam, ut ibi habitaret, amandavit.

Febr. 9. sunt in arce Pragensi comitia celebrata de subsidiis maturandis contra Turcum conclusumque, ut sedecim millium equitum et peditum exercitus educatur.

Mense eodem 21. Febr. Ernestus Archidux Austriae, frater Rudolphi Imperatoris annum aetatis 42. agens Bruxellis ex hac vita emigravit. Ajunt in renibus ejus vermem oblongum vivum cum secaretur corpus, inventum fuisse, qui interiora ita corroserat, ut corpus omne brevi tempore emarcuerit.

Jun. 5. Comes Hardekius ob proditum Jaurinum capitis supplicio, et dextrae manus amputatione afficitur.

Septembr. 2. post multos congressus cum Turcis Strigonium postquam quinquaginta jam tribus annis sub crudeli barbarorum imperio fuisset a Solymano olim devictum, a Deo Opt. Max. auspiciis Rudolphi II. Caesaris, industria et virtute Archiducis Matthiae, Caroli Comitis Mansfeldii, Balfii, et aliorum christianorum militum, restitutum est.

Rectoratus IV. ejusdem.

Ao. 1595. postridie S. Galli prorogatus est M. Marco Bydżovino a Florentino Magistratus Academicus.

Hoc anno mensibus Septembri, Octobri et Novembri arces aliquot a Christianis in Hungaria sunt recuperatae.

Ao. 1596. Jul. 23. Maximilianus Archidux Austriae belli Hungarici a Caesare designatus Imperator, Pragam venit

12. Maji, quando Matthias Archidux, Ferdinando Caesaris patruo Comite Tyrolensi defuncto administrationem comitatus Tyrolensis accepit, ut mentem et voluntatem Imperatoris ea de re cognosceret.

Octobr. 10 Agria in Hungaria oppidum sede episcopali nobilitatum post multam et gravem oppugnationem a Turcis est captum et expugnatum. Multi in illo bello christiani milites caesi, praesertim magnae virtutis ille heros et memoria sempiterna dignus Dn. Wilhelmus Trczka et Baro de Wchinicze, qui capti et in vincula conjecti miseram vitam pane et aqua cibati egerunt.

Rectoratus V. ejusdem.

Ao. 1596. postridie S. Galli electus est in Rectorem Academiae M. Marcus Bydžovinus a Florentino.

Sequente anno 1597. Febr. 17. Sigismundus Batorius Princeps Transylvaniae Pragam venit, et 6. Martii multis cum ceremoniis aureum vellus a Caesare accepit magnificisque donis affectus ante finem Maji 6 millia equitum exspectare jussus in Transylvaniam rediit.

Mense Majo Tatta et in Augusto Pappa propugnacula in Hungeria sunt a Christianis expugnata et feliciter a Turcarum potestate et possessione liberata.

Rectoratus IV.

M. Trojani Nigelli ab Osskorzina.

Ao. 1597. postridie S. Galli Rector Universitatis Pragensis M. Trojanus Nigellus ab Osskorzina est designatus.

Cum Jaurinum et Agrium, propugnacula munitissima in Hungaria Caesar amisisset, indixit comitia Ratisbonae, missoque eo Matthia, fratre et Ordinum legatis 20. Decemb. auxi-

lium ab Electoribus et Principibus Germaniae contra Turcam petiit. Unde post multas disceptationes, decreta sunt Caesari auxilia triginta mensium, et finitimis regionibus ut Stiriae, Austriae, Carinthiae etc. duorum mensium.

Ao. 1598. Mart. 29. Jaurinum antemurale omnium regionum finitimarum, per Comitem Schwartczemburgium, divina ita favente gratia, a Turcicae tyrannidis jugo liberatum et christiani potestati restitutum est. De eo quidam versiculum scripsit; qui postea grosso cupreo formae triangularis ex una parte incisus, et ex altera Salvatoris nostri manifestantis se januis clausis post resurrectionem Apostolis et Thomae figura efformata est.

IaVrInVM erIpItVr, VIVIt VIrtVte RVDoLphI.

Affirmatum fuit, quod inscriptio Turcicis literis in lapidem incisa reperta, et ad Caesarem transmissa fuerit; Jaurinum Turcarum clavem esse, quae omnia Christianorum loca et munitiones reserare atque aperire possunt. Has minas et superbiam crudelissimorum hominum Deus Opt. Max. hac unica expeditione discussit atque repressit, cui laus, honor et potentia in saecula saeculorum. Amen. Pro hac felici victoria in templis Pragae, et ubique per Bohemiam actae sunt gratiae Deo, et (ut vocant), emissis tormentis aliquot magnis, praesertim in arce Pragensi „Te Deum laudamus" cantatum est.

Rectoratus M. Martini Bachaczii a Naumierzicz.

Ao. 1599. Octobr. 18. electus est in Rectorem Academiae M. Martinus Bachacius Raumierziczius a Naumiercicz collega domus Carolinae et Senior.

Eadem die hora matutina 12. vir clarissimus et de patria sua optime meritus M. Daniel Adamus a Weleslavina Pragenus, cum vixisset annos 53 mensem unum, dies 18 apostemate percussus in domo sua diem suum obiit. Sic Novembr. 29. M. Joan. Kanchaeus a Weleslavina, Pragenus, olim Academiae Professor, et postea Archigrammateus novae urbis Pragensis mortuus est.

Ao. 1690. Romae Pontifex sub principium hujus anni, qui Jubilaeus fuit, auream portam, quam vocant, aperuit, et multis multas indulgentias dedit.

April. 18. Albertus, Archidux Austriae, et Philippus III. rex Hispaniae, Valentiae ducunt in uxores, post sponsalia a Pontifice Ferrariae in Italia celebrata: ille Isabellam Claram Eugeniam, Infantem Hispaniae, sororem Philippi III. regis, et dominam totius Belgii; hic Margaretham, Caroli Archiducis filiam. Ad horum nuptias tricies centena coronatorum millia insumta fuisse dicuntur.

Septemb. 1. hora 6. noctis mortuus est in suis aedibus Medicus et Mathematicus clarissimus D. Thaddaeus Hajecius ab Hagek et aliquando Professor Academiae celebris: sepultus est in sacello Bethlehemitico.

Rectoratus M. Johannis Adami Bystrziczeni.

Ao. 1600. postridie S. Galli est electus in Rectorem studii Pragensis M. Joannes Bystrziczenus a Bochova Praepositus Collegii omnium Sanctorum.

Octob. 22. Canisia, urbs totius Stiriae munitissima in potestatem Turcarum deditione militum Germanorum et Hungariae venit.

Ao. 1601. legatio Persica cum literis latina lingua conscriptis Pragam venit, et accepto responso brevi post iter rursus ingressa est.

Mense Julio gravis causa inter Archiepiscopum Pragen-

sem et Rectorem Academiae aliosque Professores in Camera de Collegio omnium Sanctorum alias Angelico, ei vel concedendo vel elocando, vel vendendo, agitata fuit: et, cum suis postulatis Archiepiscopus nihil efficere posset; Rector autem et Magistri veros se possessores privilegiis, legibus, statutis, consuetudinibus et judicatis ostenderent, tandem supplicatum est ad S. C. Mtem., ut Academiam cum suis libertatibus, privilegiis, et immunitatibus protegere, ac more suorum antecessorum promovere et conservare dignaretur. Et quia hanc Academiae actionem Hieronymus Makovsky, Cubicularius Imperatoris promovere pollicitus est, ideo sequente die, Professorum libello supplice a S. C. M. decretum fuit: Non debet dioscoperi (sic pro discooperiri) unum altare, ut alterum cooperiatur; quisque utatur suis bonis, uti possedit. Quo decreto facto, et ad Praesidentem Camerae misso, executio sequuta, quam Archiepiscopus non speravit; ab eodem Praesidente domum redire et officia quisque sua facere, Rector et Professores jussi sunt.

Rectoratus II. ejusdem.

Ao. 1601. postridie S. Galli designatus est Rector Academiae M. Joannes Bystrziczenus a Bochova, Praepositus Collegii omnium Sanctorum.

Mense Decembri jussu et voluntate Maximiliani Bavariae ducis, et Philippi Ludovici, Comitis Palatini Neoburgici, in Curia Ratisbonensi inter Jesuitas, et Augustanae Confessionis Theologos, de judice controversiarum religionis, habitum est colloquium. Qualis autem fructus inde provenerit, ostendit liber publici juris factus. Et quia de judice convenire non poterant, Jesuitae dicentes esse judicem Pontificem Romanum: Evangelici vero sacram scripturam, post aliquot sessiones finem colloquio imponendum esse censuerunt; et sic domum re ad finem non perducta redierunt.

Mense Augusto Albae Regalis in Hungaria, cum nostri frustra alimoniam et militem introducere conati fuerint, Sigethano suburbio 12. August. occupato, et caesis fere praesidiariis militibus, gregarii milites abjecta spe defensionis, deditionem cum incredibili totius christianismi damno fecerunt.

Rectoratus VI.

M. Marci Bydzovini a Florentino.

An. 1602. postridie S. Galli electus est in Rectorem Academiae M. Marcus Bydžovinus a Florentino.

Octobr. 20 vir clarissimus, Praepositus Collegii omnium Sanctorum M. Joann. Bystricenus a Bochova ex hac vita post satis diuturnum morbum emigravit. Sepultus in sacello Corporis et Sanguinis Christi.

Vernum hujus anni 1603. tempus attulit mortem Reginis. Nam praeter Elisabetham, Angliae reginam, quae Calend. April. mortua est; etiam eodem die in Hispania vitam finiit Maria, Bohemiae regina, Maximiliani II. conjunx, Rudolphi II. mater, quae ab Imperatoribus originem ducens, per Imperatores Imperatores edidit. Mater meruit esse felicissima.

Jun. 26. mortuus est in Collegio Carolino M. Andreas Mitisco, Lidomieržicenus, Philosophicae Facultatis Decanus et sequente die sepultus in sacello Corporis et Sanguinis Christi.

Rectoratus II.

M. Martini Bacchacii a Naumierzicz.

Ao. 1603. postridie S. Galli electus est in Rectorem Academiae M. Martinus Bachacius Naumieržiczius a Naumieržicz.

Ao. 1604 sub finem Januar. mortuus est Sultanus Imperator Turcicus: ei successit minor natu filius Achmates; major enim natu de mandato patris laqueo fuit suffocatus.

Sub finem Febr. Pragam advenit Sigismundus Battorius, qui honorifice a Caesare acceptus, diebus sequentibus splendida oratione latina coram Ordinibus habita, intercedente pro eo Dn. Dn. Adamo de Waldssteyn, impetravit, ut adnumeraretur Ordinibus regni Bohemiae.

Jun. 14. nocte illa, quae sequebatur dominicam Trinitatis, pannifex quidam scurra in templo Divae Mariae ante Curiam laetam antiquae Pragae occlusus hora noctis tertia ascendit turrim, et gladium illum deauratum, quem aliquando rex Georgius Poddiebraczius a Kunstat, sanctae memoriae recordationis ergo, quod victrici manu administrationem sacrae coenae sub utraque specie contra pontificios obtinuisset, eumque hinc et inde vibrando cecinit: **„Wzhuru, wzhuru, nedbale Czechowe!"** etc. Qui postea a vigilibus captus in carcerem est compactus, et gladius illi in Cancellariam arcis Pragensis, ex mandato Imperatoris delatus, ibique repositus est.

August. 9. Veneranda senectute vir M. Trojanus Nigellus ab Osskoržina, Praepositus Collegii omnium Sanctorum ex hac vita mortali in vitam immortalem emigravit, et postea in sacello Corporis et Sanguinis Christi est sepultus.

Octobr. 3. coepit apparere cometa circa horam noctis 3. constitutus in gradu 17. Sagittarii, progressusque indies majores faciebat, donec tandem 1. Novembr. praedicti signi 17. gradum assequeretur, et 10. Novembr. Stationarius esse deprehenderetur. De hoc cometa varia variorum erant judicia, ostendit tamen eventus, mutationem variam sequutam fuisse tam in ecclesia, quam politia.

Rectoratus III. ejusdem.

Ao. 1604. Octobr. 18. electus est in Rectorem Academiae M. Martinus Bachacius Naumierziczius a Naumierzicz etc., Praepositus Collegii Regis Vencesilai, alias Caesarei.

Hoc ipso anno primarius Cubicularius Imperatoris Hieronymus Makovsky, causa cujusdam suspicionis, de mandato Caesaris custodiae mancipatus, et postea in arcem Krziwoklad abductus est. Crimina ei fere haec erant objecta: I. Quod non habita ratione sui officii, juramentum Caesari praestitutum violaverit. II. Quod nemini aditus ad S. C. M. patuerit, nisi is pecunia magna redimeretur. III. Quod literas ad S. C. M. datas, dum satis sibi factum esset, retinuerit. IV. Quod secreta Caesaris propalam fecerit, dicendo in manu sua vitam esse ejusdem. V. Quod invito Caesare, conducta aliena uxore adulterium commiserit.

Sub finem hujus anni Decembr. 3. idola seu imagines solis duae non procul a sole vero intra 17. et 18. horam visae sunt, quae parelia vulgo vocantur.

Ao. 1605. Mart. 3. Pontifex Romanus Clemens e. n. VIII. viam omnis carnis ingressus exspiravit: ei April. 1. Alexander, Cardinalis Florentinus ex familia Mediceorum prognatus, nomine assumto Leonis XI. successit; sed tantum cathedra illa pontificia per 26 dies, et aliquot horas usus, febri correptus, fatali necessitati concedere et vitam cum morte commutare coactus est. Huic 16. Maji Borgesius ex familia Senesiorum, natus annos 53 assumto nomine Pauli V. surrogatus est.

Maji 21. in castro Hradczan Pragae incendium per incuriam stabularii cujusdam extitit, quo diversorium, cui ad globum aureum nomen est, exustum et deformatum. Hospites, qui in eo hospitio pernoctabant, ex fenestris sese demittere coacti sunt.

Jun. 12. quae fuit dominica prima Trinitatis in mona-

sterio S. Jacobi antiquae Pragae tumultus circa processionem magnus excitatus a quibusdam Italis Spinola et Doriae comitib., qui de primatu evaginatis pugionibus coram altari decertantes, alter alterum vulneravit. Unde tantus clamor et strepitus per plateas et forum excitatus, ut omnes comites qui magna cum frequentia convenerant, ex monachis Capucinis et pueris Jesuiticis instar Angelorum vestitis et ornatis, palantes fugerent. Trepidatio in plebe tanta exorta fuit, ut pileos, pallia et alia fugiendo hinc et inde amitterent. Pueri illi Jesuitici per forum fugientes, interrogati, respondebant, quod diabolum instar magnae et nigrae suis ante templum conspicati fuerint.

Septembr. 26. legatio Polonica splendide Pragam advenit, et inde Gretium Stiriae, ut desponsatam Regi ex Pontificis Romani dispensatione, defunctae prioris conjugis suae sororem adductum, cum consensu Caesaris profecta est.

Octobr. 3. Strigonium, propugnaculum celebre in Hungaria, a Turcis per deditionem militum Christianorum, refragante arcis Praefecto, occupatur, et cum nostri decem jam annos et mensem unum possiderent, in Turcarum potestatem rursus pervenit.

Rectoratus IV. ejusdem.

Ao. 1605. Octobr. 17. electus est Rector Academiae M. Martinus Bachacius Naumierziczius a Naumierzicz.

Novembr. 29, Hermannus Christophorus Rusvurmius ob interfectum Franciscum, Comitem Beligiosum, hora matutina in Curia antiquae Pragae indutus veste Cappucinorum, post latam sententiam ab Imperatore et ejus consilio, capite plexus, et in templum Mariae de Nive delatus, multis cum ceremoniis est ibidem sepultus. Ministri ejus tres, uni ad pedes sclopeto, aliis duobus evaginatis gladiis alligatis, in fori furca

suspensi sunt, et tandem sub vesperam manibus et pedibus truncati eo, quo scelerati alii solent loco, sepulti sunt.

Ao. 1606. M. Joan. Gotsmanius Teutobrodenus, Collegii omnium Sanctorum Praepositus, Jan. 10. apoplexia correptus moritur, et in sacello Corporis et Sanguinis Christi sepelitur.

Maji 2. M. Joan. Chorinus Bohemo-Trebovinus, domus Carolinae Senior, et p. t. Prorector Academiae, poëta et philosophus eximius, ex hac vita mortali in vitam immortalem emigravit.

Rectoratus V. ejusdem.

Ao. 1606. postridie S. Galli designatus est Rector Academiae M. Martinus Bachacius a Naumierzicz.

Novemb. 9. pax cum Turcis et Christianis est sancita, juramento utrinque facto, obsidibusque in confirmationem utrique parti adhibitis et datis.

Decembr. 30. Botscopus Cassoviae in Hungaria magno cum luctu totius populi vitam cum morte commutavit.

Ao. 1607. in arce Pragensi domo quadam, quae dicitur Vicaria Praelatorum, alias Sacrificulorum incendium exortum tres habitationes absumsit, et duos viros unamque feminam combussit.

April. 18. qui dies fuit Jovis post Paschatos festum, magna vis ventorum et fulminum noctu est exorta, ut multi diem extremum advenisse existimarent. Aedificia enim passim multa sunt eversa et convulsa. In districtu Gurimensi Nobilis quidam, cum ante dies septem tonitrua ejusmodi audisset, fertur dixisse: **„Eý, to gest na chybu, mnoho toho roku zlodiegu bude.“** Sed postea, is cum suum castellum intra quinque dies fulmine percussum, una cum villa incendio absumta videret, suae temeritatis justas poenas dedit.

April. 29. dominica secunda post festum paschatos in-

cendium in platea lata novae urbis satis terribile exortum est, quando concio in templis major habebatur, per incuriam vinibibae et impudicae feminae apud Fafant, domosque tres non sine commotione populi deformavit.

Jun. 11. fundamenta nova sunt jacta monasterii post ruinas restaurati Mariae de Nive in urbe nova Pragensi, a Baronibus, Nobilibus et Monachis magno in numero congregatis, tubis ac tympanis perstrepentibus. Primum lapidem Dn. Dn. Zdenko Poppl de Lobkovitz etc. supremus regni Cancellarius, cistula repleta grossis aureis et argenteis lapidi angulari, imposuit. Sed nocte sequente exorta tempestas vehemens cum fulguribus et tonitruis columnam quandam ingentis magnitudinis cum muro recens aedificato disjecit, et fundamenta illa contrivit.

Jul. 6. ipso die M. Joan. Hussii, Elector Saxoniae Christianus e. n. II. cum Joanne Georgio fratre suo quingentis stipatus equitibus Pragam venit, et a Caesare liberalissime exceptus, usus est hospitio in domo olim Dn. Dn. Wilhelmi a Rosis etc. Praeter alia signa hospitalitatis ei permissum, ut Polycarpus Leiserus, Theologiae Doctor et Concionator ejus aulicus, duas ibidem conciones, unam 8. Jul. et alteram 11. Julii in iisdem aedibus Rosembergiacis arcis Pragensis, magno cum populi accurrentis applausu, haberet. Et quamvis non omnibus hae conciones placuerunt, et varios judices habuerunt, praesertim ex Pontificiis, nihilominus tamen erant quasi praesagia quaedam, Concionatores Pragae brevi futuros ordinationis ejusmodi Evangelicae, cujus tutor ac defensor fuit Polycarpus.

Jul. 24. h. e. in vigilia Divi Jacobi Apostoli hora noctis prima, cum legatus regis Hispaniae cum Proceribus nonnullis Bohemiae festum S. Jacobi tanquam Patroni Hispaniae, vario genere Musicae celebrasset, et explosione bomborum e nitro et pulvere confectorum (vulgo racheytle) eandem festivitatem cohonestare voluisset, quinque domus incendio in ca-

stro Hradczan perierunt. Decidit ista materia sulphurea super tectum domus, unde incendium exortum est.

Eodem mense variis in locis per Bohemiam sunt exortae tempestates, praecipue vero in districtu Slanensi; et grando quidem tanta magnitudine decidit, ut etiam frusta glaciei reperta multis in locis fuerint. Segetes in agris deprehensae, sunt contusae et contritae, multi hominum aquis suffocati, domus et arces aliquot fulmine percussae, et nonnullae in cinerem redactae.

Septembr. 25. cometes effulsit circa 10. gradum Leonis, cum latitudine septentrionali 33. graduum, ad priorem pedem sinistrum ursae majoris: is paucis in diebus tanta velocitate est provectus, ut pervenerit ad extremas partes Scorpionis, et stellas manus sinistrae Serpentarii, ultra centum gradus. Quid portendat novi, astrologi certant, et adhuc sub judice lis est.

Rectoratus VI. ejusdem.

Ao. 1607. eidem Rectori M. Martino Bachacio a Naumieržicz est prorogatus Magistratus totius Academiae.

Mense Decembri in Moravia ad pagum quemdam Duban terra ad aliquot passus continuis diebus, pluvia nihil impediente arsit.

Ao. 1608. Febr. 17. qui dies fuit Bachanalium, nitrum cum pulvere tormentario in domuncula quadam ad portam pontis Micropragensis ex incuria venditoris accensum, tectum et alias contignationes disjecit, mulieremque praetereuntem interemit.

Mensibus Aprili, Majo et Junio Archidux Austriae Matthias, collecto magno exercitu partim ex Hungaris, partim ex Austriacis, partim ex Moravis Bohemiam est ingressus, et primum Teutobrodae, deinde Czaslaviae et Cuttnae, tandem Bohemobrodae, ultimo ad pagum Maleczicze

vicinum Pragae castra fixit, omnia miles ejus ferro et armis praedando, rusticis, oppidanis, equos, vaccas et alia pecora abripiendo, suppellectilem auferendo, vim sexui femineo inferendo, frumentis et annonae non parcendo, instar bruchi et locustae depopulatus est. Tandem tot bonis abreptis, et irreparabilibus damnis regno Bohemiae illatis, post comitia Pragae iisdem diebus et mensibus celebrata, et varias hinc et inde actas legationes, tum de successione regni hereditaria post obitum fratris sui Rudolphi in Bohemia, tum de adeptione coronae regni Hungariae, quae a multis annis in arce Karlssteyn servabatur cum aliis clenodiis ejusdem regni, castra movit, et cum illo exercitu magis scythico quam christiano, versus Pardubiczium et Benessovium versus, Viennam Austriae, nullo sui relicto desiderio, discessit.

Circa eadem comitia oblatus est libellus S. C. M. Rudolpho a Magistris Professoribus Academiae Pragensis, ut ejus S. C. M. privilegia et immunitates confirmaret, pecuniam legatam a Joan. Franco D. U. J. Reginae-Hradeceno pro lectione Homerica, et jam a multis annis retentam, dare injungeret, pagos remotiores aut vendere, aut pro aliis vicinioribus mutare, et novas donationes in regni tabulas sine relatione inserere concederet.

StabIt rIngatVr Sathanas ACaDeMIa Pragae.

In iisdem comitiis Status regni sub utraque specie Communicatium impetrarunt, ut Gladius ille deauratus e templo Mariae ante Curiam laetam a quodam pannifice ante quatuor annos sublatus, et in Cancellaria arcis Pragensis hactenus repositus, in locum suum restitueretur.

Jul. 10. Joannes Gartia, Cardinalis Melinus Roma a Pontifice missus Pragam venit, pacem et religionis libertatem, de qua in comitiis proxime habitis actum fuit, im-

pediturus. Varii tum rumores, clamores, et de bello contra Evangelicos suscipiendo in plebe tumultus exoriebantur, ut S. C. M. coacta fuerit, decreto publice affixo, circa festum S. Bartholomaei, de pace inter Pontificios et Evangelicos servanda edicere, ne quis contra suam Majestatem et Legatum Pontificium tales rumores falsos spargere in posterum auderet.

Rectoratus VII. ejusdem.

Ao. 1608. Octobr. 16. M. Martinus Bachacius a Naumierzicze Rector Academiae rursus designatus est.

Ao. 1609. Jan. 28. comitia de libero Religionis (hic folium excissum sensum abrumpit; sequens continet, quae sequuntur.)

Gratulatoriorum libellos holoserico rubro ligatos, et in pargameno impressos, praemissa oratione de felici inauguratione, et felicissima gubernatione, adjuncto pro Rectore Academiae, M. Laurentio Benedicto Nudozerino, et M. Petro Frodelio ejus S. R. Majestati, per M. Nicolaum Troilum Hagiochoranum, p. t. facultatis Philosophicae Decanum, voluit offerre. Ad quam gratulationem Academiae jussu regis supremus Cancellarius Dn. Dn. Zdenko de Poppl respondit: Gratulationem Academiae Pragensis, una cum voto et dono S. R. Mti. gratam accidisse, eandemque in suam tutelam et patrocinium suscipere, modo Magistri Professores tanquam fideles R. Mtis. Vasalli et subditi officio suo non desint.

Jun. 23. Christianus II. Elector Saxoniae moritur, qui cum ludis equestribus ad sudorem usque se oblectasset, allatumque cerevisiae potum avidius hausisset, deliquium animi passus, et apoplexia correptus inter horam noctis tertiam subitanea morte extinctus abdormivit.

Sub initium Octobris visum est prodigium in coelo instar coronae lucidissimae, et pugnantis pro ea exercitus.

Rectoratus X. et ultimus ejusdem.

Ao. 1611. Octobr. electus est in Rectorem Academiae M. Martinus Bachacius Naumierziczius a Naumierzicz, Praepositus Collegii Regis Vencesilai, alias Caesarei.

Decembr. 4. Matthias rex Hungariae et Bohemiae cum Archiducissa ex familia Tirolensi Anna, Viennae Austriacorum nuptias celebravit.

Ao. 1612. Jan. 20. qui dies fuit Fabiani, Imperator Rudolphus e. n. II. rex Hungariae et Bohemiae, ex gravi fluxu et inflammatione pedum, crure fere adusto, et atro colore infecto, postquam vixisset annos 59 et menses sex, mortuus est. Regnavit in Hungaria annos 40, in Bohemia annos 37, totidemque imperavit. Corpus ejus praesente Duce Brunsvicense, Principe Anhaltino, et aliis Consiliariis apertum: cor ejus adhuc sanum repertum, sed reliqua omnia membra laesa erant.

RVDoLphVs IMperator Letho obIt.

Funus ejus est coeptum peragi Febr. VI. ab iisdem Principibus et Proceribus regni, comitante id Matthia Rege, qui cum conjuge sua, et ministris aliquot aulicis, sine omni pompa, accepto nuntio de obitu fratris 30. Jan. Pragam venit.

Febr. 16. senex venerandus, et annorum plenus M. Martinus Bachacius Naumierzizius a Naumierczicz, Academiae Pragensis Rector ad annos fere decem Praepositus Collegii Regis Vencesilai meritissimus, Astronomus illius saeculi non postremus, hora 6. noctis integri horologii, post longum morbum ex hac vita emigravit. Corpus ejus postea die 20. Febr. in frequentia magna hominum in sacello Corporis et

Sanguinis J. C. est sepultum. Ei in rectoratu successit M. Joannes Campanus Wodňanus, Prorector et Praepositus Collegii omnium Sanctorum alias Angelici.

Rectoratus M. Johannis Campani Wodniani Collegii omnium Sanctorum alias Angelici Praepositi.

Ao. 1612. Febr. die 6. (16.) venerandus senex M. Martinus Bachacius Naumieržiczius a Naumieržicz, Rector Academiae Pragensis et Collegii Caesarei Praepositus, paulo ante in Collegio Nationum (ubi habitationem inter studiosos elegerat) vita et officio defunctus est, et 20. ejusdem mensis in sacello Corporis et Sanguinis Christi sepultus.

18. Febr. hora 14. Professores omnes (excepto Johanne a Sudetis alibi occupato) ad petitionem Prorectoris conveniunt, ubi M. Simeon Skala de Kolinecz, citato pro se tanquam Seniore Imperatoris Ferdinandi privilegio, obtinet praeposituram Collegii Caesarei, quam olim M. Trojanus contra M. Bachacium juniorem Professorem non potuit obtinere.

20. Febr. concordibus votis M. Joannes Campanus Wodnianus ex Prorectore fit Rector; rationes allatae ex statutis, more majorum, et cura examinis imminentis. Prorector ei additus M. Nicolaus Troilus, ut expeditior, quippe tum minus occupatus, et quia is Consiliarius Rectoris fuit, in eo munere substitutus ipsi M. Simeon Skala de Kolinecz, Collegii Caesarei Praepositus, qui mox cum amicis et Professoribus abiit in Collegium a se electum.

5. et 6. Martii statuta Rectoratus jussu dominorum Defensorum inspecta et examinata.

24. Martii postliminio revocatus in Academiam Notariatus, ad quem electus evectusque M. Johan. Hippius Wodnianus a Johanne de Sudetis I. C. et aliis commendatus.

30. Martii. FrIDerICVs TaVbMan Poëta ☉

29. Martii Magistri renunciati: Georgius Tajowsky Cuttenus, Daniel Trebiczius Taborenus, Martinus Milius Wodnianus, Daniel Basilius a Deutschenpergk Pannonius, Johan. Chocholius Pragenus, Mathias Georgines Bohemobrodenus Johan. Felix Strejcius Rocheczanus, Mathias Witi Chlumeczenus, Samuel Labussius Cuttenus, Johan. Libertinus Pragenus, Johan. Turca Teutobrodenus. Titulum hunc (ut antea 23. Martii Licentiaturae) accepere sub ipso Acad. Rectore, et quidem die recordationi Caroli Fundatoris dicta (dicata.) Placuit enim Academiae postea commemorationem Caroli in Carolino Collegio celebrare, et in Panegyricis actibus promotionibusque fieri illustriorem.

31. Martii Michael Gebhardus Nissenus Silesius, Medicinae Doctor, Rector scholae Boëmogermanicae ad Salvatoris, recipi se in Universitatem petiit, impetravitque. Dedit 1. Joachimicum.

Eadem die M. Andreas Knorius Rochlicenus receptus.

Eadem conclusum, Promotiones et Confirmationes (rebus sic stantibus) sint penes Rectorem. Studiosi toto anno maneant in collegio, cohabitent Magistris, quo fiant meliores doctioresque.

Hoc semestri Rector cum Consilio suo vindicabat reculam Davidis Lovczani Succentoris Stelsanens. (Stephanens.?) quam Dioecesani et Camera ad se pertinere dicebant. Sed S. C. M. Academiae donavit, haec vero fere cognatis et amicis.

7. Maji generosus et strenuus Eques Bohuslaus de Michalovicz et in Ruenicz, Academiae Defensor, fit regni Bohemiae Procancellarius.

26. Maji. Ut Professores melius formandis ingeniis et suae professioni possent vacare, constitutus est Quaestor Aca-

demicus M. Procopius Poeonius, sed re parum bene gesta accepit successorem 2. Junii M. Johan. Hippium, hic vero in notariatu M. Danielem Taborenum.

In Junio post multas deliberationes placuit revocare statutum et morem antiquum de Decanatus et Rectoratus officiis, ut scilicet semestria sint, uti quondam fuere.

2. Augusti comoedia Cornelii Schonaei, Naman inscripta, in Collegio Reczek exhibetur.

30. Augusti, Simeon Humburgius ab Humbergk Pragenus, M. Argentinen. majoris urbis Pragen. Cancellarius, Defensor Academiae ☉, sepultus in sacello Bethlemitico, legavit Academiae scyphum.

8. Septembr. conclusum, declamationes et disputationes studiosorum sint frequentiores, ne studiosi torpescant. Docebatur tunc in tribus auditoriis.

28. Septembr. S. Casparus Cetlicius, Felix Olumucen. ex Monacho, Germanorum Neopragae Ecclesiastes recipitur, promittit regi et regno fidem, Academiae vero gratitudinem.

9. Octobr. M. Nicolaus Albertus de Kamenek, linguae sanctae professor, fit facultatis Philosophicae Decanus.

17. Octobr. Ad Rectoris programma, quod pro Semestri Decanatu et Rectoratu propugnavit, Professoribus et coetui (sic) discentium convocatis et gratiis ultro citroque actis, electus est Rector Acad. Adamus Huberus a Risenpach Medicinae Doctor et Novae Pragae civis. Rector vero M. Johan. Campanus post publicationem electionis, Professores omnes novum Rectorem domum euntem honoris causa sunt sequuti.

Rectoratus Adami Huberi a Risenpach,
Medicinae Doctoris.

Nobilissimus et Clarissimus vir Dn. Adamus Huberus a Risenpach, Academiae et Consistorii sub utraque Defensor

creatus ex conjugatis primus Academiae Rector, coepit initio strenue in Academiae instaurationem incumbere, quod et viva voce et scriptis reliquit testatum; sed postea a cura totius corporis, hoc est, Universitatis ad membrum, nempe scholam Henricensem, quorundam haud salutari consilio conversus, statuta de Decanatus et Rectoratus officio semestri, deque examinibus et promotionibus crebrioribus damnare, coepit. His cogitationibus fatigatus, et morbo filii accedente, in morbum incidit et rationis orationisque usu fere destitutus annis, Vicarii voce in praesentia Dn. Decani Sigillum et clenodia Universitatis Academiae Prorectori commendavit. Voluit omnino ante tempus Magistratu se abdicare, sed monitus a Prorectore Academiae oneris non honoris a senibus devolutionem pati solere. Istam Professorum voluntatem caram gratam habuit, et Rectoratum ad Georgii ferias sustinuit, quem ubi vicaria Prorectoris opera deposuit, accepit consilio Dominorum Defensorum successorem e florentissima familia Dn. Julium Schlikium ab Holeycze, Comitem Passavinum et Weiskirchium in Swigan, primumque ex superioribus Ordinibus Acad. Pragens. Rectorem postulatum, quam unici filii electionem ut gratam ratamque habuit illustriss. et doctiss. dicti Comitis parens. Legati missi ad eum ab Academia M. Johan. Campanus et M. Nicolaus Albertus.

Rectoratus aestivalis

Illustriss. Dn. Dn. Julii Schlik, Comitis Passavini et Weissenkirchii, Prorectore M. Nicolao Troilo Hagiochorano.

Anno 1613. Aprilis 23.

Nova series, novus modus, nova electio Rectoris. Postquam enim Dn. Dn. Defensores coeperunt cogitare de

reformatione totius studii Pragensis, et multa scripta, dicta, disputata contra antiquas laudabiles consuetudines, quae partim manifestae veritati et naturali juri repugnarunt, partim contra bonos mores fuerunt, judicarunt ex re esse, more aliarum Academiarum, ut ex nobilitate propter auctoritatem et dignitatem Rectores tanquam postulati eligerentur, consiliumque dederunt, ut optimae indolis adolescentulus ex illustri familia Comitum Schlikiorum, et filiolus carissimus Julius illustriss. herois Dn. Dn. Joachimi Andreae Schlikii de Holeycze, Comitis Passavini et Weissenkirchii, Domini Sviganii in Rectorem eligeretur, cui consilio cum Magistri Professores pro communi bono parendum censerent, elegerunt secundum statuta quatuor Electores novi Rectoris, et quidem ex natione Bohemica M. Simonem Skalam, p. t. facultatis Philosophicae Decanum; M. Nicolaum Troilum Hagiochoranum; M. Danielem Basilium etc. Rectorem scholae Micropragae; pro reliquis vero nationibus electus est D. Michaël Gebhardus Silesius, Rector scholae germano-bohemicae Paleopragae, qui unanimi consensu, invocato prius numine divino in semestre hoc aestivale elegerunt illustrem et generosum Dn. Dn. Julium Schlikium, Comitem Passavinum et Weissenkirchium, filium illustriss. Dn. Dn. Joachimi Andreae Schlikii, Comitis Passavini etc., Eique Prorectorem, M. Nicolaum Troilum Hagiochoranum et Consiliarios ex mutua suffragiorum collatione nominarunt et constituerunt, Joan. Matthiam a Sudetis L. L. studiosum, M. Joan. Campanum Wodňanum, M. Laurentium Benedictum Nudozerinum, M. Procopium Paeonium Svetnovinum, M. Nicolaum Albertum a Kamenek, qui secundum fidem datam antiquo Rectori de fraude non committenda, Rectorem, Prorectorem, et Consiliarios publice in auditorio proclamari curarunt. Placuit electio. Et quia eo tempore illustriss. Cn. Dn. Parens recens electi Rectoris Pragae non fuit, 24. April. data est a Prorectore

charta convocatoria ad Professores, ut sequente die convenirent, et quomodo assensus Dn. Parentis novi Rectoris petendus esset, in medium consulerent. Die itaque 25. April. conclusum est, ut M. Joan. Campanus, et M. Nicolaus Albertus in arcem Sviganensem proficiscantur, et assensum nomine totius Academiae ab illustriss. Dn. Dn. Comite Joachimo Andreae Schlik etc., ut velit hanc electionem filii sui ratam, firmam et gratam haberi, petant. Quod postea statim postridie S. Marci Evangelistae factum est. Et ne ejus Generositas dubitaret de Legatorum fide, datae sunt illis literae fiduciariae sub sigillo Rectoris, quas cum accepisset et legisset, post multam velitationem et discursum de Academiae restauratione, assensum praebuit, imo qua ratione et modo in posterum instituendum velit, literis suis, quae in Archivis invenientur, complexus est. Vere ibi apparuit, quod

Omnis in Ascanio chari stet cura Parentis.

Eadem die affixum est programma valvis Collegii pro lectionibus ex praescripto Dn. Dn. Defensorum inchoandis.

His diebus et sequentibus multum consultatum est de schola Rosembergiaca transferenda Sobieslavia Pragam partim per literas, cum amicis et tutoribus testamenti olim pie defuncti illustriss. Dn. Dn. Petri Wok de Rosis etc.; partim oretenus actum est cum Dn. Dn. Joanne Georgio de Ssvambergk in Worlik etc. S. C. M. Consiliario, et supremo regni Bohemiae Camerario, penes quem hujus rei summa caputque erat; sed ut nos, ita intercessores et nostri Patroni, praesertim illustriss. Dn. Dn. Parens Dn. Rectoris repulsam passi sumus, et nihil obtinuimus. Dura res (inquit Persius) cornea fibra.

Mense hoc Aprili Leopoldus Archidux Stiriae (ut rumor ferebat) misso nuntio ad Rame militiae Praefectum, ex tu-

multibus Pragae et in Bohemia superioribus annis excitatis satis notum, ad se eum accersivit; et cum comparuisset, in carcerem abducendum, cum duobus aliis Praefectis, et capitali supplicio, quod nobiles quosdam in Curia Budviczensi decollari jussisset, afficiendum curavit. *Ουκ ἀρετᾳ κακα ἐργα.*

Maji 13. instituta est commendatio legum academicarum a Dn. Rectore in magna frequentia Baronum, Nobilium, et aliorum Auditorum, et quidem oratione eleganti memoriter et confidenter recitata, ubi inter alia studiosos adolescentes ad obedientiam, pietatem, modestiam, et honestatem hortatus, omnibus et singulis benevolentiam et officia compromittens, Deo gratias egit. Quo actu finito, Professores Academici cum Baronibus, Nobilibus, ecclesiarum Pastoribus et coetu scholastico Rectorem suum, indutum veste rubra ex holoserico, dicta Liripipium, in aedes Dn. Parentis sui per forum, Pedellis duobus in habitu suo praecedentibus, et sceptra gestantibus, Notario libros statutorum et Matrice, sigillum argenteum et epomida praeferente, comitati sunt, ab eoque lauto prandio, tam nobiles quam ignobiles excepti, et liberalissime magnificentissimeque habiti fuerunt. Quo absoluto et actis gratiis a Prorectore tam Deo, quam omnibus Hospitibus, omnes et singuli pacifice domum redierunt.

Maji 24. turris campanaria in arce Pragensi ad templum Cathedrale S. Viti fulmine tacta est, pinnaculumque supremum flammam concipiens instar candelae ardere coepit; sed cura et labore fabrorum lignariorum pinnaculo securi abscisso, ignis ille coelestis extinctus est.

Maji 25. facta deliberatione de statutis antiquis Universitatis studii Pragensis renovandis, et in ordinem redigendis conclusum est, quandoquidem jam pridem ea fuit Dn. Defensorum mens et voluntas, ut a Prorectore concipiantur, et concepta coram omnibus Professoribus legantur, examinentur et corrigantur. Et quia injectum fuit de Re-

ctoratu et Prorectoratu, ut officia illa sint tantum semestria, ideo et Decanatus semestris secundum antiqua statuta facultatis Philosophicae revocatus est, ut calcar sit, officia gerentibus προθυμια et fuga ὀλιγωρια.

Jun. 23. vir clariss. Adamus Huberus a Riesenpach, Philosophiae et Medicinae Doctor, Defensor et Professor Academiae Pragensis, et paulo ante ejus Rector Magnificus, professione ac vita perfunctus, ad S. Henricum est sepultus. De ejus vita, aetate et officio peculiare programma publice scriptum extat.

Jul. 7. Henricus Julius Dux Brunsviczensis, post gravia symptomata, in domo sua, quae fuit in castro Hradczan hic Pragae, moritur, et corpus ejus in templo germanico minoris Pragae coram altari reponitur, donec mense Septembri inde ablatum et curru Brunsvigam comitantibus illud ducentis equitibus, delatum est.

Jul. 9. Admodum hoc tempore crebrae tempestates imbrium, tonitruum et fulgurum per Bohemiam extiterunt. Nam turricula, quae satis magnae altitudinis fuit, et solido cupro contecta, in templo S. Aegidii veteris urbis Pragensis fulmine tacta est, et cum arderet, totum jamjam templum deformatura, opera molitorum abscissa et dejecta est, quae tamen cum horrore et fragore maximo concidens, duas aedes vicinas accendit, et tecta illarum concremavit.

Jul. 25. Imperator Ratisbonam cum conjuge sua, maxima cum solennitate ad comitia venit, comitatus Electoribus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, et aliis quam plurimis militibus.

Mense Augusto statuta antiqua Universitatis studii Pragensis, auctoritate, consilio et voluntate Dn. Dn. Defensorum sunt per Prorectorem in ordinem, formamque renovata et redacta, ac ab omnibus et singulis Professoribus publice et privatim lecta, examinata, judicata: et postea omnium et singulorum consensu approbata, confirmata et recepta (excepto

LL. studioso Ssudeto, titulorum osore, qui noluit inserendum secundum antiqua statuta, Doctores et Magistri, sed tantum Professores, ut Prorector et Consiliarii fiant) ad Dei laudem et utilitatem Academiae, pro iisque describendis liber peculiaris in majori 4. ex pargameno rubro corio tectus, sicuti pro intitulandis novus liber Matricae in fol. majori est comparatus. Deus det incrementum.

Praeterea mense hoc et sequentibus usque fere ad annum novum, pestis per Bohemiam, praesertim in hisce urbibus Pragensibus grassari coepit, et non tantum scholas et ecclesias, sed et res publicas suis columnis privavit, studiosorum coelum dissipavit, Professores a lectionibus ad naenias avocavit, plurimos ex plebe uno horae momento tanquam fulmen extinxit, apostema exedit, et carbunculus exussit. Tale apostemate 26. Augusti est extinctus ornatiss. Philosophiae Magister, Vencesilaus Kocharrius (?) a Prachove Czaslavinus, Rector scholae ad S. Martinum: extincti ejus aliquot discipuli, extincta pudicissima et amantissima sui mariti, M. Joan. Campani Wodniani uxor una cum filia, et postea magno cum luctu ad S. Nicolaum urbis antiquae est sepulta, quam brevi post pater ejus una cum duabus filiabus aliis sequutus est.

Heu sortem miseram humanam, nasci, dolere, mori.

Et quia Dn. Rector ad illustriss. Dn. Dn. suum Parentem diebus canicularibus. antequam lues illa saevire coepit, profectus fuit; ex re judicarunt Professores, ut ibi permaneret, donec cessaret; ideo postea per Prorectorem suum 16. Octobr. officio illo Rectoratus se abdicavit.

Decanatus hybrnuse

M. Nicolai Troili Hagiochorani

anno christiano 1613.

quem enumerat vox illa ominosa judicium circa festum Galli.

Octobr. 9. nondum resignato officio Prorectoratus, Deo sic sine nullo dubio volente, pluralitates suffragiorum Magistrorum in facultate Philosophica congregatorum electus est in Decanum semestris hyberni M. Nicolaus Troilus Hagiochoranus, qui etsi causas justas habebat, cur electione illi contradicere posset, tamen maluit labores istos publicos humeris suis impositos causa communis horum Academiis (sic) ferre, quam torpetorare (?) ab eodem: confisus divinae benedictioni et ficus (?) Consliariorum electorum M. Joan. Campani, M. Procopii Laurentii Benedicti, M. Simonis Skala et M. Procopii Paeonii, qui secundum statuta fide, industria et diligentia sibi manu data, invicem sibi promiserunt. Octobr. 16. idem M. Troilus p. t. alhuc Prorector et jam Decanus post publicatum programma 12. Ocbr. pro resignatione officium nomine Rectoris Dn. Dn. Julii Schlikii Comitis Passavini (?) egit Deo gratias pro conservatione peste saeviente non tantum Academiae et membris ejus, sed pro toto regno, ecclesia et Dn. Dn. Defenssoribus oravitque, ut Deus pro sua clementia et misericordia in hac luae (sic pro lue) stragem undiquaque magnam edente, clementer ogat, nosque omnes tam docentes, quam discentes, si adhuc summis (sic pro sumus) ecclesiae et Academiae necessarii, adhuc sagitta in die volante liberet. Postea ostensis causis, quod Academia sine Rectore tanquam suo capite esse nequeat, excusabat absentiam Dn. Rectoris et petiit a Dn. Magistris ad actum illum evocatis secundum statuta Universitatis jam recens renovata et recepta, quae tua (forsan: die) in primo in

15*

praesentia omnium sunt a notario Academiae lecta in electione novi Rectoris ingrediantur, atque hoc ex emtuis (sic forsan: exemtis) suffragiis electi sunt quatuor electores novi Rectoris: M. Simon Skala etc. M. Joan. Campanus etc., M. Laurentius Benedictus, N. Nicolaus Albertus, qui statuta facto promisso elegerunt ob certas causas in semestre hybernum Rectorem denuo, illustrem Dn. Dn. Schlick, Comitem Passavinum et Weisserkirchium, Prorectorem Mr. Joannem Campanum, Consiliarios M. Simonem Skalam, M. Laurentium Benedictum, M. Nicolaum Albertum et M. Procopium Paeonium. Et tum primum omnes ex cathedra coram omnibus auditoribus ab antiquo Prorectore promissa (verisimiliter: praemissa) ad auditores brevi praefatiuncula et ostensis auctis alicui hoc novum videatur, sunt proclamati et inaugurati. Et licet Rector absens fuerit, tamen Prorector nomine ejus, quae secundum statuta promittenda erant, promisit. Deus nobiscum state (?).

Novembr. 3. qui fuit dies Dominicus, circa horam integri horologii apostemate extinctus est M. Procopius Paeonius Svetnovinus, Praepositus domus Carolinae, et Professor Physicae, qui condito testamento de bonis suis legavit Academiae molestias, et aliis pecuniam suppellectilemque totam. De iis molestiis, et cur fuerit testamento reclamatum, videantur manualia, ubi ita illa actio cum tutoribus constitutis illius testamento esse (est) consignata. Ἀρχης κακης θελος κακον. Is postea sequenti die in sacello Corporis et Sanguinis Christi est sepultus. Novembr. 11. et pro eo tempore quo vixit clarissimus S. Georgius Hanussius Landskroneus, ecclesiastes ad S. Nicolaum Micropragae, Assessorque Consistorii sub utraque specie Communicantium dignissimus diem suum obiit, et ibidem in templo est sepultus; legavit Possessoribus 20 taleros.

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Praeterea hoc mense pallida illa Tysophone non tantum peperit, et nec peperit forola (feralia); nova enim urbe Pragensi primatem Aegidium Pergerum a Czastalovicz unum (de) Defensoribus, postea Consulem Petrum Weselsky et Joan. Kbelsky, unum ex Decemviratu ex hac terrena vita in aeternam evocavit.

Omnibus haec calcanda via est mortalibus, atqui
Calcat eam Christo sub DUCE salvus erit.

Decembr. 8. vir clarissimus Medicinae Doctor et aliquando in Academia Pragensi Decanus et Rector Adamus Zaluzanius a Zàluzan correptus peste hora noctis secunda mortuus est, et in sacello Bethlemitico sepultus. Fuit talis Philosophus, qualem sua aetas et nostra natio alterum non tulit. Hoc mense, cessante paulatim illa peste, in convocatione Magistrorum conclusum est formam, quae usui serviant quandoquidem statuta Universitatis studii Pragensis sunt in suum ordinem redacta et renovata, ut statuta facultatis Philosophicae, quae neque pro hoc tempore, neque pro usu nostri ex mandato Dn. Dn. Defensorum sequuti sunt, a Decano in ordinem et formam novam redigantur. Secundo: ut Decani electio postridie Georgii et postridie Galli instituatur, statutumque illud antiquum de officio semestri revocetur. Tertio: usitata renunciatio non solum Baccalaureorum et Magistrorum, quam promotio ad functiones scholasticas sit et maneat (penes) Decanum. Poenitet! (fortasse Huic) itaque voluntati Magistrorum idem Decanus satis facere enisus est, et statuta illa, quae usui esse possent, conscripsit, renovavit, et in ordinem reduxit, eaque omnibus et singulis legenda Magistris, Professoribus examinanda et corrigenda

obtulit. Quae cum legissent, ex mutuo consensu quaedam correxissent, et quaedam adjecissent, eadem firma, rata in posterum habere voluerunt, et libro facultatis Philosophicae inscribi curarunt. Haec acta sunt mense Januario. Et quo major illorum potestas et efficacia sit, siquidem uti est lex J. C. statuta omnes, qui in eo loco sunt, scire tenentur, diem publicandis 25. Januar. indixerunt; ut conversi cum Paulo Beato agamus ea, et quae Deus jubet, vita postulat, officia nostra requirunt.

Annus novus 1614.

Felicem Christo duce semper habebimus annum.
Quisquis habet Christum, cuncta beatus habet.

Post annum illum lethalem exactum, misericordia Domini factum est, quod excepto unico Professore, hic illa lethifera consumti non sumus; et quia nonnullis vulnera per pestem illam inflicta sanata esse vidimus, ideo Deo uni in essentia et bino (trino) in personis sit laus, honor et gratia.

Jan. 10. publicatum est programma pro examine utrique (sic) Magistrorum et Baccalaureorum; et illis quidem dies 5. Martii, his vero 10. Februar. dicta et constituta est.

Hoc mense legatus Turcicus Lincinon (Lincio) adveniens literas Caesari a Sultano attulit, quibus de pace cum Caesare ad annos viginti inita eum admonens, ne quid contra eam fieret, sedulo cavisse se, et constitutis in finibus praefectis suis, ne quem ex subjectis Caesaris offenderent, imperasse serio dicit. Aequum autem omnino et necessarium fuisse, ut et Caesar idem faceret, si pacem eam sanctam tectamque vellet.

25. Jan. convocati (sic) tota facultate Philosophica statuta illa renovata et in ordinem redacta eorum omnibus Magistris, Baccalaureis et studiosis, qui nomina sua dederunt,

ad laudem nominis divini et utilitatem omnium illorum, qui in facultate ea vivunt, vel vivere volent, sunt lecta, approbata et (ra)ta facta.

Eodem hoc tempore et sequente mense Budvicii Bohemorum praesente Imperatore sunt comitia celebrata, evocatis ex omnibus Ordinibus Bohemiae, eoque literae sunt ab Academia ad Status sub utraque Communicantium Dn. Dn. Defensores et nonnullos Barones peculiariter de reformanda Academia datae, et per notarium Academicum missae.

Mense Februario instituta est reformatio Religionis in Electoratu Brandeburgensi sub Electore Joanne Sigismundo secundum hos articulos: Imagines, epitaphia ex templis exterminanda; altaria ex papatu residua solo aequanda, hostiarum loco in Coena placentae, calicis loco pocula usurpanda; candelae, pallia sacra omittenda; genua, ac si Christus adesset, in Coenae usu non flectenda; preces et epistolas non canendas, sed legendas; prolato nomine Jesu non genu flectendum, neque caput nudandum; aepulis (sic) Coena Domini non administranda; baptisteria removenda et malluvia substituenda; decalogum et catechismum corrigendum; Trinitatem multis imaginibus repraesentandam; loco epistolarum et evangeliorum die Dominico textum biblicum prolegendum, et pro concione tractandum. Sic equidem

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Febr. 10. duo et viginti juvenes in facultate Philosophica comparuerunt, et vitam eruditionemque suam in Philosophica (infra: censurae Philosophicae) subjecerunt; qui postea ob eam industriam et doctrinam, quam in artibus posuerunt, per M. Nicolaum Troilum p. t. Decanum praemissa oratione de viro docto et milite armato, cujus virtus potior et tanior (sanior) Martii 6. Baccalaurei sunt renunciati et promoti. Sic saxum volutum non obducitur musco. Nomina

Martii 5. Baccalaurei 7 secundum programma publicatum pro gradu Magisterii in Philosophica facultate comparuerunt, et diebus sequentibus profectum studiorum suorum *περι της εγκυκλοπαιδειας* censurae Philosophicae subjecerunt, tandemque licentiam consequuti 17. Aprilis praemissa oratione de dignitatibus titulorum Academicorum, quibus Principes, Duces, Comites, Barones et Nobiles olim insigniri non puduit, ab eodem Decano M. Nicol. Troilo tum primum sunt Magistri in Philosophia praesente legato magni illius regis, magnae Britanniae, renunciati et creati. Dignis digna danda praemia. Nomina scribenda. (Tam ineptus fuit librariolus iste, ut nominum scribendorum loco jussum descripserit.)

Atque hac promotione Magistrorum idem ego Troilus claudo et obsigno hunc meum Decanatum tertium, priores duo animi (annui), hic vero semestris fuit. Deus enim faxit, ut qui magno sui saeculi bonum existimationem, posteritatisque honorificam memoriam facit, ut tam (jam) vivus bene audiat, atque commendetur. *Αφθιτον ἀνθρωποις αἰεν ἔχων ὀνομα*, secundum Theognidem.

Ipsa die Galli electus est in Rectorem Academiae Dn. Dn. Bernhardus, Liber Baro de Zentina Dominus Mezeržicii, Rosicovii etc., de quo alibi.

Alius hybernus decanatus ejusdem M. Nicolai Troili Hagiochorani

anno christiano 1614. circa festum S. Galli.

Quod homini fatis decretum est, id fere immutabile esse solet, unde necessitas magistra Suidae ex Carchedonio dicta est. *Χειρα διδασκει, καν ἀμουσος ῇ, σοφον.* Nam cum postridie S. Galli secundum statuta electio novi Decani in semestre hyberni esset, praeter spem meam et aliorum exspectationem rediit ad me Decanatus; et cum

meis excusationibus locus nullus daretur, et necessitas stasuti recens constituti hoc ingeret (injungeret), feci id, quod fieri oportuit, pari fide et dextera data administrandum suscepi. Deus enim in nobis efficit velle et perficere; etiamsi non semper respondeant labores nostris votis. Consiliarii electi: M. Nicolaus Albertus a Kincenek p. t. Prorector, M. Joan. Campanus, M. Laurentius Benedictus et M. Jacobus Zabonina etc.

Sub exitum Octobris convocati erant omnes Rectores scholarum cum collegis et studiosis, et statuta facultatis ipsis sunt lecta, ut officii memores agant, quod ab ipsis requirunt.

In Novembri de Mustaffensi Bassa Turcica (o) ferebatur, quod cum uxore, tribus filiis et una filia Religionem Christi amplexatur, et Roma(e) baptizatus fuerit; credat quis vult, sunt hodie manus occulatae.

Annus novus 1615.

Redemtioni nostrae (r)eposito anno uno miserae vitae anno uno proximior, quem Jehova nobis et studiis nostris faciat felicem, ut faciamus officium ambulando coram eo in sanctitate ot justitia.

Jan. 5. programma publice affixum pro utroque examine aperiendo, studiosis destinata ultima Januarii et Baccalaureis Martii 2. Edictum erat hoc tempore ab Imperatore et Rege Bohemiae promulgatum de re monetaria, ut omnes falsae et nullius valoris monetae ex Bohemiae regno exterminarentur, et quo facilius id fieri posset, omnes mercatores in Bohemia solutionem extra regnum nulla alia, quam abrogata in regno pecunia facere jubentur, in adulteratores vero monetarum, praesertim quoad designationem duum cruciatorum et trium cruciatorum serio et severe animadvertendum.

Jan. 31. studiosi juvenes 17 censurae Philosophicae pro primo gradu in Philosophia se subjecerunt, et rite et se-

cundum statuta examinati, tandem 17. Febr. titulum, qui nomen a baccis et lauro habet, in magna frequentia auditorum, praemissa prius oratione a Promotore de origine Bohemorum Rokolanos sunt adepti et consequuti. Aequissimum enim est laborem cujusque digna recompensatione remunerari; quia

Cum labor in damno est, mortalis crescit egestas.

Febr. 6. multi tam in Bohemia, quam in Germania, uti auditum fuit, terrae motum circiter horam quartam matutinam et integri horologii 13. observarunt, quia et prodigia multa et formidabilia in nubibus apparuisse animadvertunt. Unde postea factum, ut Neoburgi non tantum ipse Princeps Wolfgangus Gulehemius in Religione avita fuerit mutatus, sed et Jesuitas in templo arcis Neoburgi exercitium Religionis mutare curarunt. Omnia nunc venalia.

Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Martii 7. Baccalaurei sex ad examen hoc pro gradu Magisterii comparuerunt, et admissi cum censurae secundum statuta de examine Magistrorum satisfecissent, post licentiam ipsis concessam et datam tandem 26. Martii a Decano praemissa oratione de statu ecclesiae in Bohemia secundum solennitates omnes ad gradum Magisterii pertinentes in Magistros sunt promoti et renuntiati pergravia ad gaudia.

Aprilis 22. instituit orationem inauguralem pro confessione (sic) sua futura Phisica, ad quam nomine Rectoris a Prorectore et Magistris Professoribus fuit vocatus Daniel Basilius de Deutschenberg U. J. D. et Micropragensis civis.

April. 23. ipsa die sacrae D. Georgio electus est in

Rectorem aestivalis semestris generosus Dn. Dn. Joannes Albertus junior Krzineczky Liber Baro de Ronova; Prorector M. Nicol. Troilus Hagiochoranus, de quo alio in loco. Deus autem, qui est omnia in omnibus, et totum in eo invenitur, quicquid quaeritur et desideratur.

Ηνθα φαος τε κλεος τε κασων τ' ο'μπνενσις (?) ἁπαντων.

Rectoratus hybernus II. Comitis Schlikii

Prorectore M. Joanne Campano.

Rectoratus aestivalis ejusdem.

Prorectore M. Laurentio Benedicto.

Ao. 1614. ipso die sacro D. Georgio Dn. Dn. Julio Schlikio prorogatus est Magistratus Academiae, quo acceptato 7. Maji instituit commendationem legum in magna frequentia auditorum, et in praesentia illustrissimi Dn. Dn. sui Parentis, qui postea solenni cum prandio Barones, Nobiles, Pastores ecclesiarum Pragensium et Professores excepit.

Maji 13. Parelia, circulus (circulos) 20 nitidissimos (sic) et quasi duo soles visi sunt.

Maji 29. reverendus senex Elias Ssudus a Semanina, Administrator Consistorii sub utraque Communicantium specie, ecclesiastes ad templum Deiparae Virginis tale letum (moritur. Alio calamo additum).

Finis libri Rectorum, cujus adhuc folium unum abscissum videtur.

Praeterea in folio pergameno posteriori integumento agglutinato scriptum legitur:

Mag. Johannes de Praga Rector inclytae Universitatis Studii Pragensis mandat omnibus Doctoribus, magistris, licentiatis, Baccalariis et Studentibus nationis Bohemicae, qua-

tenus hodie hora XX. intersint Vigiliis decantandis pro animabus Benefactorum praefatae Nationis. Et cras hora XIIII. missae defunctorum, nec ab inde recedant, nisi vigiliis et missa finitis in capella Corporis Xti novae Civitatis Pragensis. Sub poena 4^{or} gross. irremissibiliter persolvendorum.

Datum Rectoratus sub Sigillo.

Joannes de Praga artium liberalium mag.
Rectorque inclytae Universitatis Studii Pragensis.

Mandat omnibus suppositis nationis Bohemicae, quatenus hodie hora 20. conveniant ad antiquae civitatis ecclesiam sancti Stephani in majore (?) ad decantandum vigilias, et in crastino ad decantandum missam defunctorum et divina peragendum pro anima bonae memoriae Dni. Johannis Reczkonis, patroni et fundatoris Collegii Scte. Marie ibidem, et benefactoris nationis praedictae; et inde non recedant, donec utraque divina finiantur. Sub poena 4 gross. irremissibiliter persolvendorum. Datum Rectoratus sub Sigillo.

Revocatio publica mgri unius dicti Thabor.

Ego mag. Johannes Krawin de Thabor fateor meam culpam et peccatum, quo peccavi, quum loquutus sum male nequiter, et false coram hominibus de Mag. Joanne Rokyczana asserens (?) et affirmans de eodem, quod ipse per se seu solus conficeret Crisma et oleum sacrum modo tali: apponendo particulam corporis Domini ad oleum, et quod postea tale oleum distribueret Sacerdotibus per civitates, oppida et villas, Quapropter ego sic loquens peccavi in deum omnipotentem, contra meum proximum falsum loquens. Insuper contra Serenissimum principem Regem Boëmiae, dominum nostrum Girzi, terram ejus ducens in malam famam et nomen, et consequenter contra totum regnum. Ideo (correctum

Idcirco) primum rogo regiam majestatem, ut dignetur mihi culpam meam ignoscere; et mgrm Johannem de Rokyczana, ut injustitiam, quae ei per me est illata, velit praetermittere (corr. preterire); et omnes Boëmos, spirituales et seculares, ut veniam sive gratiam suam mihi velint ostendere et dare; et vos in simul omnes peto dignemini pro me dominum deum rogare, ut peccatum meum grande dignetur parcere seu relaxare.

Ista revocatio facta est publice in lectorio Theologorum Collegii Karoli in Kathedra magistrali fer. II. post assumtionem Marie Virginis, an. domini M. CCCC. LXI, tempore Rectoratus mgri Johannis de Praga, ubi multitudo magna hominum literatorum interfuit.

Et cum hoc tres publici notarii, qui vocati sunt et optati ad conficiendum super his prothocola seu publica instrumenta.

Vulgariter seu Boemice sic est loquutus:

Ya mistr Jan Krawin z Thabora wyznawam winu swu a hrzich kterym sem zhrzessil, že sem mluwil krziwie a neprawie k lidem o mistru Janowi z Rokyczan, prawie nanieho že by on sam poswieczowal Crzisma a olege swateho obyczegem takowym przikladage tiela bozieho k olegi. A že by takowy oleg rozdawal knieczym po miestech i miesteczkach i po wsech. Protož ya tak mluwie shrzessil sem proti panu buohu, na sweho bližnieho krzywdu mluwie. Take proti nayjasnieissiemu krali a panu nassiemu Girzi Czeskemu geho zemi we zly narok vwodie. A tak y proti Kralowstwi Czeskemu. Y prosym na przed kralowi milosti, aby mi raczil mu winu odpustiti. Y mistra Jana z Rokyczan, aby mi raczil krzywdu swu promieniti (supra correctum: prominuti). Y wssech Czechow duhownich y swietskych, aby raczili milost swu ke

mnie obratiti, a wssech was prosym raczte za mie pana boha prosyti, ač hrziech muog težky mnie raczi odpustiti.

Istam formam vulgarem attulerunt duo milites famosi, missi a regia majestate ad hoc peragendum et huic revocationi assistendum, unus Dn. Samuel, prothoconsul antiquae Civitatis Pragensis, et Subcamerarius Regius, et alter Dn. generosus Czenko de Watthmberg (sic) purggravius castri pragrensis.

Anno Dni. M.CCCCLXII. die sctae. Ludmillae celebrata est Synodus seu congregatio totius cleri, virtute et mandato Regis Georgii. Et ante hoc, anno eodem, die scti. Laurentii facta est congregatio, sive conventus secularium. Et omnes unanimiter in hoc resederunt, ut Compactata cum concilio Basiliensi facta (?) per regnum Bohemie teneantur et actu observentur.

Alia congregatio Cleri tempore Regis Wladislai vide licet ante primo folio hujus libri tali loco notata.



